Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Dispvtatio Theologica Inavgvralis, Qva Neo-Evangelistarvm Opinio: De Angelorum Lapsorvm, Ex Inferno, Per Christum Speranda Restitvtione E Dicto Ebr. II. 16 ... In Academia Varniaca

Aepinus, Franz Albert

Rostochii, [MDCCXXXVI?]

VD18 13054872

urn:nbn:de:gbv:45:1-17445

Visual Library

ΣΥΝ ΘΕΩ!

DISPVTATIO THEOLOGICA INAVGVRALIS,

QVA

NEO-EVANGELISTARVM OPINIO:

DE

ANGELORUM LAPSORVM, EX INFERNO, PER CHRISTUM SPERANDA RESTITVTIONE

E DICTO EBR. II. 16.

CONVELLITVR,

ADSISTENTE GRATIA S. NVMINIS

AVTORITATE ET CONSENSV S. REV. THEOLOGORVM ORDINIS

IN ACADEMIA VARNIACA,

PRAESIDE

MAGNIFICO p. t. ACADEMIAE RECTORE,

VIRO SVMME VENERABILI, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO AC EXCELLENTISSIMO,

DN. FRANC. ALBERT. AEPINO,

PHIL. ET S. S. THEOL. D. ET PROFESSORE DVCAL. PVBL. ORD. LONGE CELEBRATISSIMO, FACVLTATIS SVAE HODIE DECANO SPECTABILISSIMO, SERENISS. DVCIS MECKLENB. CONSILIARIO CONSISTORII GRAVISSIMO, DOMINO FAVTORE ET OLIM PRAECEPTORE SVO, PIO ADFECTV SEMPER DEVENERANDO,

PRO IMPETRANDIS SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS,

A. O. R. MDCCXXXVI. D. XI. OCTOBR.

HORIS ANTE - ET POST - MERIDIANIS, LOCOQVE CONSVETO PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITA

A

M. IOANNE HENRICO BECKER,

PHIL. PRACT. P. P. O. & AD D. NICOL. AEDEM VERBI DIV. MINISTRO.

ROSTOCHII, typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

SECTIO I.

Praeliminaris, Inſtituti rationem & ſtatum controuerſiae exponens.

§. I.

Eo-Euangeliſtae nobis dicuntur illi homines, qui finem cruciatuum infernalium, & reſtitutionem tam angelorum quam hominum damnatorum adſerentes (a) nouum quaſi Euangelium ebuccinant, (b) ſuamque hanc hypotheſin pro fidei articulo magni omnino momenti venditant. (c) Hanc Neo-Euangeliſtarum adpellationem, quamuis aegre ferant, ſibique per contemtum hoc nomen tribui conquerantur, (d) non tamen dicterium cenſeri debet, ſed nomen vere diacriticum eſt, quo ab orthodoxis Chriſtianis dignoſcuntur.

(a) Liceat illos ita deſcribere a praecipuo errore, quo eccleſiam turbant, & quo putant de explicandis, ſibi ſcilicet ſpeciatim reſeratis, myſteriis verbi & regni diuini, deque omnibus non modo hominibus, verum damnatis quoque angelicis ſpiritibus bene mereri. Quot enim propter vnicum hunc ſtabiliendum errorem, comminiſcantur alios, & quam artificioſam paradoxarum opi-

 nionum

Landesbibliothek Oldenburg

nionum conſtruant catenam, in controuerſia tantopere agitata nemini occultum eſſe poteſt.

(b) Nouum ſuum euangelium venditant pro illo *aeterno*, cuius mentio fit Apoc. XIV. 6. Vnde paſſim in librorum ſuorum rubris ſuam doctrinam ornant titulo: des ewigen Evangelii. Non ſine fundamento pie coniicimus, cum angelo illo componi, B. LVTHERVM, qui verum JESV euangelium per ſalutare reformationis negotium, aſſiſtente gratia diuina, ſuo non ſolum reſtituit nitori ſuaeque puritati, verum etiam illud per medium eccleſiae coelum adnunciare coepit, famamque eius tulit per latum orbem. Forte autem D. PETERSENIVS ſuam hic perſonam reſpici ſibique datum eſſe credidit, ſingulare quoddam evangelium per orbem ebuccinare; quod fere ſuſpicandum eſt ex illius libelli, quem in ordine primum, Tomo III. Apocataſtaſ. inſeruit, titulo: Myſtiſche Halljahrs-Poſaune ꝛc. öffentlich geblaſen durch D. Joh. Wilhelm. Peterſen. Sed eadem adnotatione IO. WINCKLERVM PETERSENIO bilem mouiſſe, colligitur e *Tom. II. Apocataſt.* In der gründlichen Antwort gegen Herr Ioh. Winckler. §. 79.

(c) Si vel maxime in ſ. Scriptura fundata eſſet Apocataſtaſis damnatorum hominum & angelorum, tamen nullo iure referenda eſſet inter articulos fidei fundamentales. Saluo enim manente fidei fundamento & ignorari & negari poſſet. Vnde cum eius aſſertoribus, niſi alia admiſcerent, aut moroſi veritatis ſatis apertae contemtores eſſent, mitius in tantum agerent noſtrates Theologi, quum illa falſa licet opinio, fundamentum fidei dogmaticum formaliter haut euertat, Vid. S. Venerab. DN. PRAESIDIS Diſpp. de *Aet. Euang. cum LL. noſtris Symbol. irreconciliabili Praef. pag.* 4. Verum Neo-Euangeliſtae Apocataſtaſin tanti momenti rem eſſe contendunt, quae negari ſine apertiſſimo ſalutis diſpendio non poſſit, & temere acerbiſſimoque animo damnant omnes illos, qui cum ipſis, poſtquam tantam veritatem reuelauerint, ſentire nolunt. M. LVD. GERHARDVM audiamus loquentem: Die Lehre der Widerbringung gehöret ad articulos fidei fundamentales, aber nur ſecundarios, qui ſine ſalutis diſpendio ignorari quidem, ſed non negari poſſunt. *Syſtem. Apocataſt. cap. II. p.* 102. *it. p.* 105. Ich habe kurtz zuvor gesagt, daß die Lehre von der Wiederbringung mit unter die Grund Articuln der Chriſtlichen Religion zu zählen ſey. Idem euincere conatur im kurtzen Begriff des ewigen Evangelii ꝛc. cap. II. Adeoque in *Syſtemate cap. II. p.* 116. totam putat a Caluiniano homine reiici poſſe noſtram religionem, quando haec non ſuffulcitur apocataſtaſeos veritate. Ein Reformirter, ait, ſchreyet und ſchreibt mit höchſten Grunde der Wahrheit: O! weg mit einer ſolchen Reli-

Religion, die uns einen solchen heimtückischen GOtt abmahlet, der da spricht, daß er bey seinen ernsten Willen allmächtig sey, und doch mit solchen seinen Willen nimmer zum Zweck eilet! O! weg mit einer solchen Religion, die sich nicht schämet, GOtt zu einen ohnmächtigen Nichts-GOtt zu machen ꝛc. O weg ‥ welche mit der Allmacht GOttes nur ein Atheistisches Gespött treibet ‥ recht GOttes-lästerlich lehret, daß die Majestätische Allmacht GOttes in einen so elenden und auf der meisten Creaturen abzielenden kläglichen Ausgang endlich ohne Sieg gleichsam mit versincken müste. Quam damnabiles igitur existimet Theologos apocatastasin negantes, leg. in *Praefam. systematis* p. 37 conf. G. P. SIEGVOLCK in dem von JEsu allen Creaturen zu predigen befohlnen Evangelio p. m. 50. 51. Vbi veritatem hanc negantibus horrendam DEI iram minatur.

(d) Vid M. LVD. GERHARDI Systema, vbi passim hoc occurrit: Die Spotts-weise also genandten Evangelisten.

§. II.

Equidem antiquissimis iam temporibus & postea tam intra, quam extra veram Ecclesiam haut defuerunt idem docentes (e), ceu historiae ecclesiasticae monumenta referunt; adeo ut harum opinionum patroni, tot scilicet veritatis testes pro se excitare valentes (f), non vltimum ex antiquitate rebus suis testimonium accedere autument: Interim tamen his, qui recentiori aeuo in media orthodoxa ecclesia veterum opinionum portenta recoxerunt, & nouis passim coloribus argumentisque incrustarunt, nomen Neo-Euangelistarum specialius competere, nulli dubitamus. Etenim distinguendi sunt hoc ipso, a vere euangelicis, qui antiquum illud & vnicum a JESV & ejus Apostolis praedicatum Euangelium, cui aliud nec cœlitus ab angelo addendum est, (g) sancte venerantur & tenaciter seruant. Qui itaque praeter illud antiquum & vnicum (h) aliud & nouum (i) euangelium asserunt, iactant, crepant, (k) imo respectu huius, vetus illud flocci (l) quasi faciunt; quin propitio iure Neo-Euangelistae adpellari debeant, nulla omnino ratio vetat. Vnde B. ZACHAR. GRAPIVS Theologus huius Almae meritissimus, vindicans suam Disputationem Inaugur. directam contra sic dictum aeternum euangelium, ita scribit: (m) *in mente per spiritum Domini penitus conuictus sum, me non vero, sed falso cuidam euangelio, quod euangelio IEsu Christi apertissime contradicit, dissertationem meam opposuisse.*

 (e) Quod

(e) Quod ORIGENES Sec. III. restitutionem diabolorum & hominum damnatorum, inter alios satis crassos errores docuerit, dubium nemini esse potest, cum non solum scripta eius illud copiosissime demonstrent, sed & EVSEBIVS idem narret *Lib. VI.* Veram quoque hanc ORIGENIS sententiam esse, solide euincit PETRVS DANIEL HVETIVS in *Origenianis*, vbi *Lib. II. Cap. II. Quaest. XI. §. XVI.* dicit, *quod Adamantius valde multus sit & odiosus in dogmate hoc prodendo.* Obseruat praeterea: quod ORIGENES *poenas piaculares & expiatorias* statuerit ex 1. *Cor. III.* 12. 13. In quam quoque sententiam hodierni Apocatastatistae pedibus eunt, satisfactionem damnatorum poenalem statuentes, quam inter reliquos fatetur & multis coloribus ornat M. LVD. GERHARDVS *System. Apocatast. Cap. I. pag.* 49. *seqq.* Propter illum in principali asserto consensum factum est, quod hi nostri Neo-Euangelistae nonnullis etiam *Origenistae*, *Origeniani*, *Neo-Origeniani* vocentur. Damnata autem est in Synodo V. Oecumenica seu Constantinopolitana II. haec Apocatastasis ORIGENIS. Canonem quo illi anathema dicitur recitat IO. LVD. HARTMANNVS in *Conciliis Illustr. Tom. III. pag.* 682. Ceterum cum constet, Platonicam philosophiam ORIGENI praecipuam passim errandi ansam dedisse, ex eadem quoque Philosophia metienda est eius asserta apocatastasis; Pro magnis enim rerum reuolutionibus, quas Schola Platonica inculcabat, non modo infernalium poenarum sed & beatitudinis ipsius finem fore, omniaque ad pristinum statum aliquando redire dicebat, Vid GVIL CAVE *Histor. Lit. Scriptor. Eccl. Tom. I. p.* 56. Comp. quoque EL. DV PIN *Nouvelle Bibliotheque des Autheurs Eccl. Tom. I. p.* 121. *seqq.* & CASP. SAGITTARIVM in *Introd. in Hist. Eccles. Tom. I. Cap. XXXI. Sect. LVIII. p.* 1113. *seqq.* Vnde nec ORIGENES cum *Doctoribus misericordibus*, qui AVGVSTINI tempore vixerunt, & Apocatastasin ad diabolos non extendisse feruntur, per omnia conuenit, nec ambo conueniunt examussim cum hodiernis Neo-Euangelistis.

An ORIGENES primus fuerit, qui finem aliquando poenarum infernalium futurum esse docuit, an vero idem ante illum iam adseruerint: IVSTINVS MARTYR, THEOPHILVS ANTIOCHENVS, TATIANVS, ARNOBIVS, IRENAEVS, in medio iam relinquimus. Hoc certum est, PETERSENIVM hos, aliosque sequentium temporum Doctores pro se excitare, & THOMAM ITTIGIVM in *Exercit. theol. de euangelio mortuis adnunciato*, fateri, *quod vix dici possit, quam frequens modo dicta opinio sit in antiquis patrum monumentis.* Sequentibus temporibus inter *Scholasticos* & *Pontificios*, inter *Socinianos*, inter *Anabaptistas* & *Fanaticos* ipsos.

Landesbibliothek Oldenburg

ipsosque *Iudaeos* subinde extitisse huius sententiae Patronos, negari nequit. Ecclesia tamen per illam publice & specialius turbata nunquam fuit; sic, vt B. Theologus nostras IO. FECHTIVS scribat, *inauditam fuisse ecclesiae opinionem*, & singulare abs continua huius opinionis in ecclesia ignoratione argumentum ducat ad eius falsitatem; *cum non probabile sit, articulum tanti ponderis, velut Apocatastasis esse venditatur, ecclesiae perpetuo ignorari potuisse.* Vid. eius *Lection. in Syllogen ad Disput.* L. seu vlt §. 3. Ceterum de IO. LOCKIO, ERNEST. SONERO, IO. CLERICO, aliisque speciatim dicere non adtinet.

(f) Quorum ingentem numerum tam sparsim in toto opere, quam speciatim *Tom. III. Apocatastaseos*, sub finem, producit I. W. PETERSENIVS.

(g) Conf. *Gal. I. 7. 8.*

(h) Illud antiquum & vnicum Euangelium est: *Quod Christus, semen mulieris, debeat conterere caput infernalis serpentis. Gen. III. 15. restituere illud, quod per peccatum Adami amissum ac perditum est. Rom. V. 15. seqq.* Promittitur hoc vnico & antiquo Euangelio, *remissio peccatorum per Christum & fidem in eius meritum speranda Io. III. 16. Act. X. 43. solis hominibus lapsis 1. Tim. II. 4. Cap. IV. 10. cuilibet vsque ad horam mortis, toti humano generi vsque ad extremum iudicium 2. Cor. VI. 2. Ebr. XII. 15.-17.* conf. *Matth. XXV. 10. 12.* Non ergo nouimus duplex Euangelium, alterum quod hic in tempore, alterum quod post hanc vitam & tempore judicii offertur & accipitur, alterum quod hominibus *Adae* filiis, aliud quod lapsis quoque angelis destinatum sit.

(i) Quod nouum sit euangelium de damnatorum hominum & angelorum speranda salute, protestatur quidem PETERSENIVS in *Tomis* suis, sed protestatio facto est contraria, & ipse cogitur im ewigen Evangelio ꝛc. respondens ad objectionem XXII. fateri, daß ein Unterscheid sey des Evangelii vom Glauben das nach der Auferstehung Christi verkündigt worden, und des Evangelii vom Reich, das bereits erschollen, darauf dieses ewige Evangelium folge, nicht als ein anders, welches seiner Natur nach mit den ersten stritte, sondern als ein anders nach der Oeconomie der Zeiten, und nach seinem besondern Vortrage ꝛc. Clarius fere in der Vorrede Tomis praemissa §. II. Nouitas ergo huius Euangelii liquet partim ex iis, quae in antecedente Nota dicta sunt, partim liquet ex tot scripturae locis, quae è diametro contrarium docent, liquet ex noua, quam Neo-Euangelistae comminiscuntur, Euangelii praedicatione, directa & dirigenda ad spiritus damnatos, in ipso infernali barathro; in suas partes trahunt illud 1. *Petr. IV. 6.* Quod tamen Apostoli effatum vero sensui suo

Landesbibliothek Oldenburg

vindicauit B. THOM. ITTIGIVS in disp. *de praedicato mortuis euangelio*; Liquet ex methodo, quâ saluatum iri putant damnatos. Aiunt enim: Christi Blut werde die verdammten Geister also tingiren und betreuffeln in der Hölle, daß sie von Sünden werden gereiniget werden, quam plusquam *Böhmianam* phrasin legimus tam apud PETERSENIVM quam LVD. GERHARDVM. it. Der Teuffel werde aus dem gefallenen Engel dergestalt ausbrennen, daß das reine Creaturliche Wesen allein bleibe, und er wieder ein guter Engel werde rc. Quales formulae loquendi, sicut Origenizant & ad errorem de poenis damnatorum expiatoriis accedunt, ita sacrae scripturae prorsus ignotae sunt, quin contrariae. Ergo quod de hac re mitissime dici potest, nouitas est. Nec obstat, quod D. PETERSENIVS & M. GERHARDVS nouitatis suspicionem à se deuoluere voluerint, causando, euangelium suum in LL. nostris symbolicis, si non contineri, tamen non reiici & negari; contrarium enim demonstratum dedit S. Venerabilis Dominus PRAESES in disp. quam in hac alma defendit M. EDZARDVS 1729. *De Euangelio aeterno, ἀποκαταστασιν πάντων nunciante, cum Eccl. Luth. symbolicis irreconciliabili.*

(k) Non a vero abludit B. FECHTIVS quando l. c. *Id quoque*, ait, *in hoc argumento suspectum est, quod cum antea nemo quidquam in scriptura de ἀποκαταστάσει, legerit, nunc subito tota scriptura vbique & in innumeris prope locis ἀποκατάστασιν crepet & loquatur. Quemadmodum, cum de vniuersali Iudaeorum conuersione & spe meliorum sub finem mundi temporum postremo hoc tempore renouari antiqua controuersia coepit, cum antea vel nulla scripturae loca -- reperirentur, hodie à Chiliastis innumera vbique inuenta sint testimonia -- vt gratiae regno nullus vbique locus prae illo Chiliastico amplius relinquatur!* Ocularis inspectio vnumquemque satis docebit, dicta scripturae, quae de quauis alia materia agere iudicares, ad probandam Apocatastasin, vel obtorto collo trahi atque reduci. Tantum quoque volunt huius hypotheseos esse in integram scripturam sacram interpretandi artem, & in omnes Theologiae partes atque articulos influxum, vt, non admissa apocatastasi, scriptura quasi clausa & obscura, Theologia vero dubia & manca sit, admissa vero, fundamentum paretur ad vtramque recte explicandam & intelligendam.

(l) Ἀπολύτρωσις illud declarat. Parum enim illis est, CHRISTI redemptionem illud duntaxat inuoluere, quod nos secundum scripturam credimus, atque docemus, nec adeo ornant doctrinam de fi-

de

Landesbibliothek Oldenburg

de & iustificatione, vt potius non raro illi detrahatur; qua de re, si non adeo aperte è PETERSENII scriptis, tamen ex GERHARDI *Systemate ἀποκαταστάσεος*, non pauca possent colligi documenta. vid. *Syst. Cap. V. p.* 647. Nonne contemtus euangelii vnici & antiqui manifestus est, quod ad solam fere apocatastasin trahant illud evangelium, quod CHRISTVS discipulis mandauit per orbem praedicare; Ita enim GEORG. PAVL. SIEGVOLCK libellum suum inscribit: Das von JEsu Christo allen Creaturen zu predigen (NB. Marc. XVI. 15.) befohlne Evangelium. Cum tamen CHRISTVS instructionem de eo, quod praedicare debeant, v. 16. statim adnectat, in qua ne litera quidem de apocatastasi continetur, & quidquid in *Actis apost.* Spiritus sanctus consignauit, de ipsis apostolorum siue ad Iudaeos siue ad gentiles factis sermonibus euangelium adnunciantibus, tale est, vt nihil minus, quam Apocatastasin reuelet. Ergo aut Apostoli suo officio acceptaeque suae instructioni non satisfecerunt, aut CHRISTVS ad Apocatastasin praedicandam certe non respexit, nec illam sub *Euangelii* nomine commendauit.

(m) *In vindiciis - - Examine I. §. I.*

§. III.

Aeterni sic dicti, nouique Euangelii assertores noto pariter nomine vocantur: *Apocatastatistae* propter summam suae doctrinae, quam tradunt, quae est Apocatastasis πάντων, die Wiederbringung aller Dinge, (n) quam ad omnes adeo creaturas, non ad solos homines damnatos, angelosque ad inferni barathrum detrusos, extendunt. (o) Abutuntur nimirum illo *Act. III. 21. Oportebat Christum cœlum suscipere* ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. A qua tamen hic inuenienda voce phrasique ad illorum dogma, quod isto titulo tradunt, non melior est, quam à baculo ad angulum formanda conclusio: Cum tam antecedentia, quam in ipso illo citato commate immediate sequentia de nulla alia, quam scripturae prophetiarum, Christum & salutem hominum per illum parandam manifestandamque promittentium, apocatastasi, hoc est, de exacto vaticiniorum V. T. complemento agant, ceu ocularis inspectio demonstrat. Quodsi quoque illud: πάντα non restringeretur ipsissimis huius commatis verbis, tamen illud trahi non posset simpliciter ad obiectum absolute vniuersale, sed limitate intelligendum esset de re-

bus

bus, quae restitutionem aut patiuntur, aut secundum promissionem expectare possunt. Idem enim prorsus occurrit *Marc. IX.* 12, nisi absurdissime dicere velis, per Ioannem Baptistam apocatastasin omnium rerum iam factam esse. Qualis ergo est illa Apocatastasis per Ioannem efficienda, talis erit illa *Act. III.* 21. notata, h. e. limitata.

(n) Epitomen huius doctrinae Neo-Euangelistarum recensent Domini *Autores* der unschuld. Nachr. anno 1702. p. 181. seqq. vbi tandem addunt: Es bestehet also dieses vermeinte Geheimniß auf folgenden Sätzen: 1) Christus sey auch für die Teuffel gestorben. 2) Es wären zwey Mittel-Oerter zwischen Himmel und Hölle, einer vor die Frommen, der andere vor die Gottlosen. 3) In dem Stande der Verdammnüß könne man dennoch den wahren Glauben und Gnade erlangen. 4) Die Höllen-Pein sey fähig den seeligmachenden Glauben hervor zu bringen. Conf. quoque D. IO. GEORG. WALCHIVM in den Hist. Theol. Einleit. in die Relig. Streitigkeiten der Euang. Lutherischen Kirchen. P. II. pag 655.

(o) Fanaticum principium *emanationis creaturarum ex essentia DEI*, quod veterum Ethnicorum Philosophorum, Platonicorum praecipue placitis natales suos debet, & ab ORIGENE iam olim adoptatum fuit, adnotante illud COLBERGIO in Plat. Hermet. Christenthum *Cap. I. p.* 36. huic hypothesi subesse videtur. Docent ergo hodierni pariter ac veteres Fanatici, *id quod ex DEO emanauerit, in DEVM reducendum esse, ut DEVS sit omnia in omnibus essentialiter;* Prouocant ad 1. *Cor. XV.* 28. Ab illo errore, quem etiam personatus CHRIST. DEMOCRITVS propalat im Wegweiser zum verlohrnen Licht und Recht, *P. II. cap. II. pag.* 759. notatus a S. Venerab. DN. PRAESIDE nostro in *Mataeol. Fanat. P. I. cap. IV. pag.* 192. & *P. III. cap. XIIX. pag.* 586. non valde alienos esse Apocatastatistas, formulae eorum loquendi passim reperiundae, produnt. Vocant omnes creaturas: Ausgebuhrten der ewigen Liebe GOttes, die ihre ewige Wurtzel in dem unvergänglichen Wesen GOttes haben, und daher kein Ende nehmen können, die GOtt so wenig als sich selbst, hassen kan. Vid. SIEGVOLCKIVM l. c. p. m. 4. 32. 90. 96. Comp. PETERSENIVM in der Bewährung des ewigen Evangelii p. 55. GOtt wird alsdenn, ait, alles in allem seyn, nicht allein in allen, sondern auch selbst das alles, das in GOtt und seiner Krafft verborgentlich war. Denn damahl hätte man mit recht, ehe noch die Creaturen durch seinen Willen zum Vorschein kommen waren, sagen können: Quicquid erat, DEVS illud erat; wohin es wieder kommen wird, wenn alle χρόνοι und Zeiten der Wiederbringung aller Zeiten werden vollendet

seyn

seyn, doch mit diesem Unterscheid, daß sie nicht aus der Indiuidualität ihrer Existentz in das verborgentliche Wesen GOttes versetzt, absorbirt und verschlungen werden, sondern bey solcher ihrer sichtbahren und weltlichen Existentz GOtt und das Lamm loben sollen. Pro se quoque excitat JAC. BOEHM, Myst. Mag. cap. X. §. 62. ita loquentem: GOtt hat sein heilig Weesen nicht ewig verstossen, nur die Boßheit so sich drin mischete. Wenn aber die Crystallinische Erde erscheinen wird, alsdenn wirds erfüllet werden, das gesaget wird: Sie gehöre in den Punct Solis. Allhie, addit, den unsern gnug verstanden, weiter sollen wir allhie geschweigen. Vid. *Tom. I. Apocatast.* Anhang zum Gespräch pag. 139.

De restituenda vero tota tota creatura, suo licet modo, & prout restitutionis capax esse potest, haut obscure loquuntur Neo-Euangelistae, quod, ne quis illis iniuriam fieri putet, passim in scriptis eorum legi poterit. Vid. SIEGVOLCK l. c. *Cap. XII. p.* 185. seqq. vbi p. 188. expresse docet: *restitutionem per Christum factam aeque late patere, ac ipsam creationem.* PETERSENIVS idem docet, e. g. In der Bewährung des ewigen Evangelii p. m. 53. & in *Tom. Apocatast.* passim. Conf. tandem GERHARDVS *System. Apocatast. cap. IV. pag.* 423. *seqq.* it. im kurtzen Begriff des ewigen Evangelii *p.* 188. *seqq.* Adlegant hic pro se *Apoc. XI.* 5. it. *cap. V.* 13. *Rom. VIII.* 19. 22. *Eph. I.* 10. aliaque dicta plura.

§. IV.

Qui autem recentiori tempore in ecclesia nostra Euangelico-Lutherana apocatastaseos patronos potiores se (p) exhibuerunt, aliisque quasi signa praeferendo inclaruerunt, sunt D. IO. WILHELMVS PETERSENIVS, cum conjuge IOANNA ELEONORA MERLOVIA, (q) GEORGIVS PAVLVS SIEGVOLCK, vero nomine GEORGIVS KLEIN-NICOLAI, (r) M. LVDOVICVS GERHARD. (s) Iste non solum euulgauit sub nomine eines Mitgliedes der Philadelphischen Gemeine: das ewige Evangelium der allgemeinen Wiederbringung aller Creaturen, (t) sed &, sub nomine eines Zeugens GOttes und seiner Wahrheit, edidit integrum opus primae formae tribus Tomis dispertitum sub titulo: Μυστήριον ἀποκαταστάσεως πάντων, das Geheimniß der Wiederbringung aller Dinge. (u) Ille euulgauit: das von JEsu Christo dem Richter der Lebendigen und der Todten allen Creaturen zu predigen befohlne Evangelium von der durch Ihn erfundenen ewigen Erlösung.

(w) Hic vero scripsit & publici iuris fecit suum Systema ἀποκαταστάσεως, oder vollständigen Lehr-Begriff des ewigen Euangelii, von der Wiederbringung aller Dinge. Addidit non solum huic Systemati quaedam Supplementa, sed &, opus contrahendo in breuius, luci exposuit: Den kurtzen Begriff des ewigen Euangelii von der Wiederbringung aller Dinge. (x) Sicut autem non defuerunt Theologi & viri cordati, qui his nouis Euangelistis sese scriptis opponerent, ita factum est, vt scripta in hac causa vtrimque edita ad numerum haud exiguum creuerint (y).

(p) Mittimus enim alios, qui in nostra Ecclesia adeo noti non facti sunt, quorum mentionem faciunt Domini Autores der Unschuld. Nachrichten anno 1702. p. 179. seqq. IO. FABRICIVS in *Histor. Biblioth. Fabric. P. II. p.* 200. IO. FRANC. BVDDEVS *Theol. Dogmat. Lib. II. cap. III. p.* 492. aliique. Dolendum est, quod IO. MICH. LANGIVS, Theologus olim Altorfinus, postea Vcaro-Marchicus, apocatastasin defendentibus se adiunxerit in *Addendis ad Dissert. historicas tres de herba Borith.*

(q) Qui si non ex multis suis fatis, hypothesibus, scriptisque notissimi iam essent, noti tamen cuique esse possent e propriis, quas de se consignarunt, Biographiis euulg. 1717. & 1718. recus. 1719. Suam nempe Biographiam antea iam adnexam denen Gesprächen des Hertzens mit GOtt, Anno 1689 mariti biographiae; velut partem alteram adiunxit Vxor. 1718. In titulo libelli se vocat PETERSENIVS: Einen Zeugen der Wahrheit Christi und seines Reichs & statim p. 1. GOTTFR. ARNOLDVM appellat: Den nun in GOtt ruhenden Zeugen JEsu Christi. Qua praedicati identitate, quorumnam classi adnumerandus sit, ipse indicauit.

(r) Quem initio verbi diuini in Comitatu Mansfeldensi ministrum, deinde ob opiniones haud probandas ab officio remotum, Zeulenrodae sacro officio admotum fuisse refert M. ERNEST. STOCKMANNVS *Tom. VIII.* der kurtzen Fragen aus der Kirchen-Hist. N. T. admethodum Hubneri, p. 737. Pastorem Stendaliensem eum vocat IO. FABRICIVS l. c. p. 201.

(s) Friedlandia - Mecklenburgensis, Vir doctus & haud vulgaribus naturae dotibus ornatus, de quo dolendum est, quod illas dotes non rectius collocauerit, sed ad varios errores abreptus fuerit.

(t) Prodiit A. 1700. & primum fuit in nostra ecclesia, pro Apocatastasi scriptum. Vxor *Petersenii* autor eius esse, quibusdam credebatur. Vid. b. GRAPII *Disp. Inaug. in Praef.*

(u) Con-

Landesbibliothek Oldenburg

(u) Continentur his III. Tomis scripta varia PETERSENII, aliorumque, partim dogmatica, partim eristica. Quae in ordine recenset IO. FABRICIVS l. c. p. 198. seqq. *Tom. I.* prodiit 1700. *Tom. II.* 1703. *Tom. III.* 1710.

(w) Prodiit anno 1705.

(x) Systema excusum est 1727. der kurtze Begriff 1729. Vtrumque scriptum pro genio seculi magno passim abs errorum & nouitatis amantibus adplausu susceptum fuit, vel ipsa, quam proponit, doctrina peccatorum animis se gratis ac perfacile insinuante. Vti autem multum sophisticationis, ita non minus acerbitatis in nostrates Theologos continet; Error quoque Apocatastaseos in se spectatae, inter multos alios & maiores mox Papisticos, mox Calvinisticos, mox Fanaticos, comparatiue loquendo, minimus esse, videri potest. Certe multi offendiculum inde iustum sumserunt, recteque concluditur, talem scriptorem, etsi hypothesi ê Scriptura fucum illinat speciosum, non loqui per Spiritum Sanctum.

(y) Quae omnia h. l. recensere, huius nec instituti, nec spatii est. Vide sis Dn. D. IO. GEORG. WALCHIVM In den Hist. Theolog. Einleitungen in die Relig. Streitigkeiten der Evangelisch-Luth. Kirchen P. II. pag. 640-654. item P. III. den ersten Anhang, vbi ex instituto de M. LVD. GERHARDI Systemate, & scriptis contra illud euulgatis, tantum non omnibus agit. Cap. I. Conf. CHRIST. EBERHARD. WEISMANNVM in *Hist. Eccl. N. T. Sec. XVII.* & M. ERNEST. STOCKMANNVM in *Parte VIII.* der Fragen aus der Kirchen-Historie N. T. pag. 719-755. Nuperrimum fortassis pro Apocatastasi scriptum edidit *Anonymus* 1733. sub tit. Der vollkommen erreichte Endzweck GOttes in Wiederzurechtbringung alles dessen, was durch Adam in Sünde, Todt, Hölle und ewige Verdammniß gerahten ꝛc. De coetero, quod I. F. IDEN, *Pastor Thomasburgensis* propediem publici iuris facturus sit: Eine Widerlegung des Irrigen Lehr-Begriffs von der Wiederbringung aller Dinge, notum faciunt die Hamburg. Berichte. 1735. num. LXXII. p. 600.

§. V.

Quid modo dicti Neo-Euangelistae de restitutione hominum damnatorum doceant, praesentis scopi non est, fusius disquirere, propius autem ad illum spectat iste error, quem de restitutione Angelorum damnatorum fouent. Eo ille generatim abit, quod statuant, diabolum, postquam tantae malitiae apostata factus est, summo quidem iure iustitiam DEI vindicem experiri, & experturum esse

Landesbibliothek Oldenburg

vltimum, in infimo gehennae barathro seu stagno sulphuris & ignis (z), vindictae diuinae gradum in aeonum aeonas, simul cum falso Propheta & peccatoribus in Spiritum Sanctum; sed, exacto aeonum circulo, post longissimum tempus, forte 50000 annorum, secundum typum (a) magni anni sabbathici Iudaeorum, des grossen Hall- und Jubel-Jahrs, illum conuersum, ab omni peccato, vi sanguinis & meriti Christi purgatum, & ex inferno liberatum iri, vt amplius non sit diabolus, sed redeat ad pristinum angelicae sanctitatis & gloriae statum. Idque concludunt nonsolum è bene multis scripturae locis, verum etiam ex necessario illo amore, quo DEVM oporteat amplecti essentiam creaturarum suarum per peccatum licet intime corruptarum, (b) eoque operam dare, vt tandem ad pristinum (c) statum redeant.

(z) Ante regnum millenarium non statuunt, quemquam ad infernum detrudi; hominibus enim, qui sine conuersione & fide mortui sunt, adsignant locum quemdam purificationis, qualem indicari in Scriptura, praesertim in *Apocalypsi* putant per *mare, mortem & infernum*. Vide *Tomos Apocatast.* PETERSENII passim. Refutat illum locum tertium b. ZACH. GRAPIVS in *Disp. Inaug.* nobis iam citata *Sect. II. Subsect. I.* Diabolo autem custodiam: ein Gefängniß assignant, it. illum vsque ad millenarii tempus in aëre vagari, tunc autem cum *bestia, falso Propheta & peccatoribus in Spiritum Sanctum*, in mortem secundam, i. e. stagnum igneum sulphureum, daß er darinn kirre gemacht, und der teufflische Geist ausgebrandt werde, projectum iri, docent. Ex multis PETERSENII audiamus hoc: Im ewigen Evangelio der Wiederbringung, prout id habetur in *Tom. I. Apocatast. p. 7.* In diesem (feurigen Schwefel-Pfuhl oder andern Todte) ist bis auf diese Stunde noch niemand kommen, auch der Teuffel selbst nicht, als welcher erst nach vollendeten künfftigen 1000 Jahren darein geworffen wird, wie Apoc. XX. 10. zu ersehen. Denn es wird niemand eher hinein kommen, bis auf den Tag des grossen Gerichts im sechsten Siegel rc. Taceo alia multa in his Tomis. Eamdem esse mentem SIEGVOLCKII & GERHARDI, ex scriptis eorum adparet adeo copiose, vt specialia loca adlegare, superuacaneum sit omnino. Scalam autem seu gradus poenarum, quibus DEVS Diabolicos spiritus affligit, pro ingenio determinat PETERSENIVS *Tom. III. Apocat.* Myst. Halljahrs Posaune §. 69. p. 79. Conf. M. GERHARDI *Systema Apocat. Cap. IV. p. 470. §. 591.*

(a) Multo colore hunc typum explicant. Vide post PETERSENIVM

VM *Tom. Apocat. III.* Myst. Halljahrs-Posaune *p.* 72. *seqq.* 80. &c. *Tom. I.* Im Gespräch von der Wiederbr. p. 6. & alibi, recentissime GERHARDVM in *System. Apocatast. Cap. IV. p.* 571. 581. Fatendum est, multo ingenio illum ad hypothesin adcommodari, si modo haec per se veritati reuelatae conformis, nec mera res esset ingenii, vltra Scripturam sapientis. Hoc etiam suspectum est 1) quod conceptus de purificatione diabolici spiritus sit nimis crassus & materialis, cum dicitur: Er soll ausgebrandt werden, & vt alii loquuntur: Auf der höchsten Capelle gelautert werden, desumpto simili â metallurgica operatione, per quam nobilius metallum separatur ab ignobiliori & â scoriis, violentiâ ignis adhibita. Anima humana, quae πρῶτον δεκτικὸν est peccati, cum, pariter ac angelus, Spiritus sit, quidni illa absolute subiacet istiusmodi purificationi per ignem? Fatentur quippe Neo-Euangelistae, quod hominum vera fide obdormientium animae purificationi obtinendae opus non habeant. Collustrato quoque intellectu, & correcta voluntate, id quod mechanico isto conceptu haut indiget, quid amplius in substantia spirituali corrigendum, abolendum, renouandum sit, non facile concipitur. Was ist denn noch zu tingiren, zu betreuffeln, zu schmeltzen und auszubrennen. 2) Si etiam pro malis angelis CHRISTVS satisfecit, satisfactio autem poenae susceptionem vicariam inuoluit, ad quid integri 50000 anni sunt diabolis consumendi in extremo cruciatu? Si enim tanta opus est propria satisfactione poenali, non multum in satisfactione Christi ponendum est, aut si satisfactio per Christum praestita est sufficiens, quidni ad illam auide & vera fiducia sibi adplicandam diabolus, qui suam iam per fere 6000 annos continuam miseriam, statumque suum oppido desperatum satis sentit, per 1000 vel 6000 vel 7000 annorum cruciatum adigi creditur, si adigi vmquam spes est, aut si illi pariter ac hominibus datus est Christus redemptor? Respondet quidem ad talia dubia PETERSENIVS in der Halljahrs-Posaune, sed minus sufficienter, dum scribit: daß die Teuffel nicht gnug thaten für ihre Boßheit, sondern in solcher langen Zeit nur litten, was ihre Thaten werth seyn. Manet ergo nostra objectio. 3) Quae, obsecro, proportio est inter peccatorem in Spiritum S., qui, sit ita, 50 annis in atroci illo peccato perseuerat, & inter diabolum, qui hunc & innumeros alios seduxit, & in ineffabili & innumerabili malitia erga DEum, & verbum & regnum eius, 6000, posito, annos consumsit? tamen Neo-Euangelistae vtrique eamdem poenam, eumdemque fere cruciatus terminum adiudicant, cum ad delictorum rationem, poenarum quo-

que rationem, modum, gradum, tempus, adeo exacte metiri posse, sibi videantur.

(b) Vndenam sit illa hypothesis de necessario amore DEI erga essentias creaturarum corruptarum & ad infernum reiectarum, iam indicauimus Not. ad §. 3. lit. (o). Multi sunt in deducendo hoc axiomate, quod saepius in explicatione locorum Scripturae aut fundamenti loco ponunt, aut ad illud se, ubi ultima probatio deficit, tandem recipiunt tanquam ad sacram anchoram. Multis vero etiam, quantopere hi fallant & fallantur, & quidni DEus actuali amore prosequi possit creaturas rebelles & intime corruptas, in scriptis suis contra M. LVD. GERHARDVM luci expositis demonstrarunt: MOSHEMIVS, WALCHIVS, GEBHARDI, GEVDERVS, IAENICKE & plures.

(c) Vix satis sibi ipsis Neo-Euangelistae constare videntur loquentes de statu, ad quem reducendus est diabolus. IOANNA LEADE cum professis Fanaticis voluit, *diabolum post antegressam quandam annihilationem in essentiam DEI reductum iri;* PETERSENIVS, SIEGVOLCKIVS, GERHARDVS autem communiter in scriptis suis docent, *diabolum restitutum iri ad pristinam gloriam & sanctitatem: In hoc enim DEum praecipue declaraturum esse honorem Sapientiae, amoris & potentiae suae, vt creaturam singulam in suo ordine ad pristinam perfectionem iterum reducat.* Nihilo tamen secius PETERSENIVS *Tom. III. Apocatast.* In der Myst. Halljahrs-Posaune p. 80. scribit: --- Der Drache wird in seinem Theil, wann er nach langer Zeit heimgesucht wird, Es. XXIV. sein Wohlseyn erlangen, nicht aber zu den auserwählten Kindern GOttes, und zu ihrer Prærogativ kommen, sondern sich wohl begnügen lassen, wenn er ... der letzte in der Wiederbringung sey, und GOtt und das Lamm mit allen Creaturen lobe und preise. Iam vero coeteris angelis si non aequalis olim erit diabolus, non, certe, restituitur in pristinum statum sanctitatis & gloriae; nam inter omnes coelites minimus, infimus & postremus hic concipitur: Er soll nur sein Wohlseyn erlangen. Pariter illam mentem exprimit M. GERHARDVS in *System. Apocatast. Cap. IV. p.* 576. *it.* 580.

§. VI.

Hunc errorem vt stabiliant atque defendant, non modo in partes suas torquent miroque ingenio adcommodant scripturae effata bene multa, sed etiam, vt elidant illa, quae iis contra hanc hypothesin opponuntur, satis manifesto dimicantia, nulli operae, nullis artificiis (d) parcunt. Non solum facile recedunt â communi

&

& tot inde seculis toti Ecclesiae comprobata interpretatione, sed tales quoque formant exceptiones & vocum phrasiumque comminiscuntur detorsiones, vt fucum imperitis faciant maximum, & incautos facile seducant. (e)

(d) Scandalosum est lectu, quibus restrictionibus & vanis interpretandi methodis lacerent inter alia effata sacrae Scripturae illud Es. LXVI. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, & illud Matth. XXV. 46. *Et abibunt hi in poenam aeternam, iusti vero in vitam aeternam.* Quod M. GERHARDVS ita sophistice & puerili in rebus seriis ludendi lasciuia torquet & retorquet e duplici canone: *Oppositorum opposita*, it. *eadem est ratio*, vt videatur empaectam hic agere voluisse. Sane hoc ipso non parum se supectum fecit suamque causam, nec id vsque quaque conuenit cum illa, quam de se & ὁμοψήφοις iactat, reuerentia erga Scripturam, & quod stricte maneant in ipsa litera verbi divini & ῥητῷ primum obuio. *Vid. System. Apocatast. Cap. III. pag.* 140. *seqq. it.* 210. *seqq.* taediosa satis prolixitate.

(e) Vltra enim, quod rem suam egregie ornare sciant, hypothesis ipsa ita comparata est, vt facile se insinuet tam bonis quam malis, piis quam impiis. Probabilis quoque facile redditur iis, qui altius ac fas est, & curiosius res mysteriosas rimari amant, & quibus plus placent propriae & abstrusae meditationes, quam simplicitas verbi & expressae eius literae. Illa vero, quod hanc hypothesin nec habeat nec admittat, vnica causa est, quare Apocatastasis nobis nec potest nec debet probari. Vtcunque enim in se comparata sit, tamen vltra aut contra verbum, citra magnam noxam & ingens periculum omnis inde generandi Fanaticismi, haut vmquam possumus sapere.

§. VII.

Inter alia dicta scripturae quibus Apocatastasis angelorum lapsorum iuste conuellitur, illud quoque ad Ebr. II. 16. Neo-Euangelistis oppositum fuit; Hoc autem pari ac alia, quae illorum palato haut sapiunt, methodo tractauerunt & in longe alium sensum interpretati sunt (f). Vt tamen hoc dictum genuino suo sensui, secundum quem damnatorum Angelorum apocatastasin explodit ac prorsum subruit, vindicetur, *S. Reu. Facultas Theologica* mihi illud negotii, pro more in hac Academia consueto dedit, demandauitque,

Landesbibliothek Oldenburg

uitque, vt ſpeciminis inauguralis loco cum hoc dicto eiusque enucleando vero ſenſu conferrem de reſtitutione damnatorum angelorum à Neo-Euangeliſtis aſſerta & tantopere iactata opinionem, vocaremque ſub examen illas exceptiones, quibus hoc comma verbi diuini ad ſiniſtrum ſenſum trahere, ſibique non contrarium eſſe euincere conantur (g).

(f) Ceu infra pluribus dicetur. In anteceſſum ſufficiat quod PETERSENIVS *Tom. I. Apocataſt.* im Geſpräch *Part. III. pag.* 137. §. 10. audacter ſcribat: *ne per ſpeciem quidem poſſibilitatis hoc dictum ſibi aduerſum eſſe, potius argumentum pro Apocataſtaſi habere.*

(g) Quamuis hoc dictum à viris doctis, qui PETERSENIO aut GERHARDO ſe ſcriptis oppoſuerunt, non omnino neglectum fuerit, non tamen nouimus, quendam illud ex inſtituto contra Apocataſtaſin diabolorum direxiſſe, diſcuſſis ſimul exceptionibus, quibus, id ſibi non contradicere, probatum eunt.

§. VIII.

Quemadmodum igitur hic labor, ex decreto *S. Reu. Facultatis Theologicae* mihi tentandus eſt, ita pro ſcopo aliud nihil erit, quam probare: quod vi huius commatis Ebr. II. 16. Chriſtus non niſi humani generis, neutiquam angelorum lapſorum damnatorumque, mediator ſit ac ſoſpitator, & quod, ſi nullum aliud, hoc tamen ſcripturae effatum, ſpei, diabolis de ſua reſtitutione ac redemptione ex inferno factae, ſatis aperte contradicat. Dabitur ſimul anſa ad exceptiones potiores aduerſae partis reſpondendi, illasque ex tenore ſacri textus diſcutiendi.

§. IX.

Omnem autem operam perderemus, niſi vera eſſet nos inter, & Neo-Euangeliſtas contradictio. Hoc eſt, nil probaretur contra illos è loco Ebr. II. 16. niſi illi crederent & faterentur, quod Chriſtus angelorum quoque lapſorum, non lapſi generis humani ſolius, mediator atque redemtor ſit. Probandum ergo erit, antequam ad id, quod rei caput eſt, adcedamus, quod Neo-Euangeliſtae vere ſtatuant ac fateantur: *Obiectum redemtionis, mediatorii officii, & ſatisfactionis Chriſti, diabolos non minus eſſe ac homines, ſalutem ergo diabolis quoque tandem ſperandam & vere reſtituendam eſſe per Chriſtum.* Niſi enim Chriſtum & eius meritum cauſam veram & vnicam reſti-

tutio-

tutionis lapsorum angelorum statuerent, aperte sua causa caderent, & ad *Socinianorum* castra recta via transirent, (h) periretque vnico momento omnis illa gloriatio de necessitate & vtilitate suae huius hypotheseos, de aperto eius influxu in omnes fidei articulos, deque manifestando per ipsam thesauro diuitiarum amoris ac misericordiae DEI, & abysso aeterni & vniuersalissimi meriti Christi. Vt ergo de mente illorum b. Lector nobiscum certus esse possit, (si nondum certus est ex illo fundamento, quod omnes fatentur, Christum descendentem ad inferos, damnatis hominibus & angelis Euangelium per se promeritae & sperandae liberationis praedicasse) pauca dabimus ex illorum scriptis hac de re fideliter excerpta, vnde adparebit, disputationem nostram non abire in vanam logomachiam, sed Apocatastatistis vere contradicere. Ita GEORG. PAVL. SIEGVOLCK (i). Wie GOtt durch Christum ait, alles erschaffen hat, das im Himmel und auf Erden ist, das Sichtbahre und Unsichtbahre, worunter auch alle gefallene Engel sind, eben also ist es auch das Wohlgefallen GOttes gewesen, alles, es sey im Himmel oder auf Erden, wiederum zu versöhnen zu ihm selbst, das ist, durch die Krafft seines für die Sünde der gantzen Welt vergossenen Blutes, fähig und beqvehm zu machen, daß es aus seiner Unordnung wiederum in die rechte Τάξιν und Ordnung (und zwar ein jedes zu seiner Zeit) gebracht werden könne. it. (k) Hie hören wir, wie weit sich die durch Christum geschehene Versöhnung erstrecke, nemlich eben so weit als die Schöpffung. : : : Also müssen auch nothwendig die gefallenen Engel dran Theil haben, denn sie gehören ja mit unter das Unsichtbahre, so durch Christum erschaffen worden, und also auch mit unter das alles in den Himmeln, so durch ihn versöhnet worden. Gleichwie aber diese Versöhnung vornemlich auf die verdorbene Menschen und Engel : : : gehet; also haben auch alle übrige Creaturen ihren Theil dran ꝛc. Pariter M. LVD. GERHARDVS: (l) kurtz zu sagen, es kommt auf den vorseyenden streitigen Punct darauf an, ob die neuen Evangelisten aus GOttes Wort beweisen können, daß die unendliche Göttliche Krafft des Bluts Christi sich endlich der verdammten Engel und Menschen würcklich in jener Welt annehmen wolle. Wo das die neuen Evangelisten mit Bestand der Wahrheit aus GOttes

Wort beweisen können, so wie ich solches auf das allergewisseste im IV. Cap. gethan, so haben wir alles erhalten ꝛc. it. (m) postquam ex Ebr. X. 12. putat probasse, Christi meritum iuuare per omnes aeonas quoscunque damnatos, ad quaestionem πῶς, it. an damnati accipient veram fidem in Christum saluificam? respondet: Ja allerdings! das hat keinen Zweiffel! denn ohne Christum, welchen der Glauben ergreiffen muß, ist keine Wiederbringung zu hoffen! Hoc quidem, quod diaboli fidem accepturi sint, postea eo facilius probare posse sibi videtur: quia iam nunc fides, infirmior duntaxat, & insufficiens iis à *Iacobo cap. I.* 19. tribuitur: *Diaboli credunt etiam & contremiscunt.* Tandem D. J. W. PETERSENIVS idem docet in *Tomis Apocatast.* frequentissimis omnino locis, quae omnia notare, nullius vsus, multae autem, cum tantae molis liber omni materiarum ordine & indice destituatur, operae foret. Sequentia sufficiant: Es sind ja, inquit, (n) die abgefallene Engel sowol GOttes Geschöpff, und eben sowol durch Christum versöhnet als der Mensch, immaassen des Menschen Sohn alles versühnet hat, beydes das im Himmel, auf Erden, und unter der Erden ist, Coloss. I. 16. 20. Philpp. II. 10. welche auch alle GOtt umb diese Versöhnung zur seiner Zeit loben werden. item: (o) Aber wir antworten hierauf, daß Christus zwar der Mittler zwischen GOtt und den Menschen sey, aber doch nicht exclusiue, sondern daß solche Mittelung erst zwischen GOtt und den Menschen vorgehen müsse, weil es billig und recht ist, daß der Verführte eher wiederbracht werde, als der Verführer, für welchen zuletzt auch Gnade wird gefunden werden, denn es stehet geschrieben 1. Ioh. II. 2. Ebr. X. 26. Matth. XVIII. 11. daß Christi Versöhnung für die Sünde der gantzen Welt geschehen, und daß er εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας zur Abolirung und Wegnehmung der Sünden gekommen sey, und selig zu machen das verlohren ist ꝛc. vsque ad verba, und durch den Glauben an den Sohn GOttes dazu gelangen muß. Ex his omnibus colligitur, quod Apocatastatistae statuant, Christum pro lapsis quoque angelis mortuum esse, pro iis DEO satisfecisse, ideoque angelos lapsus per sanguinem & meritum Christi ex inferno liberatum & restitutum iri. Cui autem hypothesi cum Apostolus eloquio aliquoties ex-

citato

citato sc. Ebr. ll. 16. contradicat, specialius iam res tractanda erit *SECTIONE sq.* Quod vt feliciter, & ad veritatis coelestis amussim fiat, iuuabit ipse Spiritus veritatis, qui solus in omnem veritatem ducit!

(h) *Sociniani* enim, vti eleuant non solum, sed etiam aperte impugnant meritum Christi, ita statuunt, DEum absque propria aut vicaria satisfactione, pro summa sua libertate peccata & poenas remittere posse, quando & cui velit; Docent ita in *Catech. Racou.* loco vom Propheten Ampt Christi, *cap.* 8. *p.* 264. *seqq.* Eo ipso autem iniurii sunt in infinitam iustitiam DEI, & pugnam inter ipsa attributa in DEO admittunt. Quod si ergo Neo-Euangelistae statuerent, liberationem fore diabolorum ex inferno citra alicuius mediatoris satisfactionem (quae autem alia esse nequit, quam quae praestatur a persona infinita, adeoque â Filio DEI in assumta natura, quae passionem & satisfactionem admittere potest,) cum *Socinianis* sane eandem fouerent sententiam. Enim vero si satisfactore vicario diabolis non opus esset in casu suae liberationis, sequeretur, aut: quod infinitam Maiestatem DEI infinities laedentes, longa licet, temporaria tamen poena delictum & culpam ipsi expiare possent, aut: quod DEus non infinitam satisfactionem postulare debeat, sed pro sola & nuda misericordia infinitas poenas diabolis sine satisfactione remittere queat, nulla iustitiae suae & laesae Maiestatis habita ratione. Protestantur autem Neo-Euangelistae oppido frequenter, se *Socinianis* è diametro opponi. Quod, quamuis pro christiano amore credere velimus, suspectum tamen nobis est, quod satisfactionem poenalem 50000 annorum non solum requirant â diabolis, pro quibus tamen Christum satisfecisse docent, sed etiam, quod dictae poenali satisfactioni diabolorum tantum tribuant, ac faciunt. Sane haut satis sibi constare M. LVD. GERHARDVS videtur, quando *System. Apocatast. Cap. III. p.* 325. ita scribit: das will ich zugeben, wie es denn sehr glaublich zu seyn scheinet, daß GOttes Weißheit kein ander Mittel, als nur das Blut seines Sohnes gewust, die gefallene Creatur gäntzlich NB. von dem Höllenfeuer, und zwar dergestalt, zu befreyen, daß dieselbe, ungeachtet ihrer Verderbniß, welche ihr in diesem Zeitlauff im Grunde beständig anklebet, dennoch, in der andern Welt, ohne Gerichte, zur höchsten Seligkeit gelangen könnte. Ich will zugeben, sage ich, daß die Weißheit GOttes kein ander Mittel gewust, als nur sein eigen Blut, die so genannten Erstgebohrnen und Auserwählten, gantz ohne Gerichte, selig zu machen. Allein das ist gantz was anders, wenn die gefallene Creatur das Höllenfeuer wircklich gekostet, und von Grad zu Grad ausgestanden, und also damit der Gerechtigkeit GOttes die billige Sa-

Landesbibliothek Oldenburg

tisfactionem poenalem geleistet hat. (§. 74.) Ob GOttes Weißheit so dann nicht mehr Mittel ersinnen könne, das geliebte Wesen der Creatur aus der Pein endlich wieder loßzumachen? Ich bin fest versichert, daß derjenige allzuverwegen, und nicht recht, von der Majestät und Hoheit GOttes urtheile, welcher derselben hierin gewisse Gräntzen zu setzen sich unterfänget. Comp. *Cap. III. p.* 333. §. 409. Vbi illam propositionem: Wo Christus die Englische Natur in seine Göttliche Persohn nicht angenommen: so folget, daß die Teuffel unendlich werden gequählet werden, aperte negat, & probari postulat: 1) daß aus dieser Ursache es dem allgemeinen Welt-Heylande unmöglich sey, die gefallenen Engel aus der Höllen-Pein zu erlösen. 2) Daß die Allmacht und Weißheit GOttes kein ander Mittel zu erfinden wisse, die verdammten Creaturen zu erlösen. Cum quo, si confertur, quod de fide in Christum sinistre sentit, vbi opera nostra cum fide, id quod Christus pro nobis egit & in nobis agit, ad obtinendam salutem coniungit, & saluificam fidem ex vtroque conceptu consuit, Leg. *System. Cap. V. p.* 647. plus quam suspicandum est, Satisfactionem Christi illi non esse tanti pretii ac ponderis, ac quidem homini Christiano, socinianos errores damnanti, esse debebat.

(i) In dem, allen Creaturen von Christo zu predigen befohlnen Evangelio p. m. 37.

(k) *Ibid. p.* 188. *seqq* Conf. quoque *p.* 45. *seq.* 60. *seq.* 149. 161.

(l) *In System. Apocatast. Cap. I. p.* 58. vid. quoque ibidem *p.* 44. 47. 53. 56. Comp. *Cap. III. p.* 240. 249. 296. porro *ibid. p.* 325. it. *Cap. IV. p.* 413. *seqq.* vbi illud *Coloss. I.* 13. & *Eph. I.* 10. prolixissimo discursu huc trahit, *p.* 569. vbi distinguit *inter officium mediatorium Christi generale seu vniuersale, & speciale, quod ad solos homines spectat*; quae distinctio in Ecclesia prorsus noua & inaudita est.

(m) Ibid. *Cap. V. p.* 583. *seqq.*

(n) *Tom. I.* Gespräch von der Wiederbr. *p.* 255.

(o) *Tom. II.* Vorrede §. 19. vid. quoque *Tom. III.* Myst. Halljahrs-Posaune *p.* 79.

SECTIO II.

Principalis, qua Sensus dicti Ebr. II. 16. inuestigatur, & opinio de diabolorum speranda per Christum ex inferno liberatione conuellitur.

Legitur autem illud dictum in fonte ita:

οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται.

Syriaca

Syriaca versio ex GVTBIRII N. T. quam literis ebr. huc transscribimus, ita habet:

לֹא־הוּא גֵיר מֵן מַלְאכֵא נְסַב אֵלֹא מֵן זַרְעֵה דָאבְרֹהֹם נְסַב.

Latine ita redditur: *Non enim ex Angelis adsumsit, sed ex semine Abrahami adsumsit.*

Latina Vulgata: *Nusquam enim angelos adprehendit, sed semen Abrahae adprehendit.*

Gallica ad Vulgatam: *Car il ne s' est pas rendu le liberateur des anges, mais il s' est rendu le liberateur de la race d' Abraham.*

Anglicana versio: *For verily he took not on him the nature of angels: but he took on him the seed of Abraham.*

Belgica: *Want waerlick hy en neemt de Engelen niet aen, maer hy neemt het Zaed Abrahams aen.*

SEBAST. SCHMIDIVS ita: *Non enim vsquam Angelos adsumit, sed semen Abrahae adsumit.*

IOH. HINR. REIZIVS, ita: Denn er gewißlich sich nicht der Engeln (als ein Nechst-Verwandter) annimmt, sondern des Saamens Abrahams nimmt er sich an! Notam adiecit: - - die Engel nicht ergreifft - nicht an - oder auf - oder einnimmt!

C. E. TRILLERVS ita: Denn, traun, er nimmt nicht auf die Engel, sondern er nimmt auf des Abrahams Saamen.

B. LVTHERVS optime vertit: Denn er nimmt nirgend die Engel an sich, sondern den Saamen Abrahae nimmt er an sich.

Adparebit ê sacro hoc textu 1) *Quod Filius DEI humanam naturam adsumserit sibique vniuerit vnione hypostatica.* 2) *Quod non adsumserit angelicam naturam in vnionem hypostaticam.* 3) *Quod ideo non lapsi angeli, sed soli homines à Christo redemti sint, solatiumque habeant in eius merito & satisfactione.* Per consequens: *quod diabolis nulla sit spes salutis & liberationis ex inferno per Christum & eius meritum obtinendae.*

Putamus, nos partibus nostris functos esse, si has tres theses probauerimus, integram rei tractationem iis superstructuri.

THESES I.

Filius DEI humanam naturam adsumsit sibique vniuit vnione hypostatica, seu, illam adsciuit & cum diuina sua natura vniuit personaliter.

§. I.

HAnc equidem non negant Neo-Euangelistae veritatem, sed vtique concedunt. Vnde illa, vt in se probetur, multa deductione nec eget, nec huius loci erit. Verum negant, excitatum dictum hanc veritatem exprimere, aut ad illam respectum habere; quo ipso aliud non habent interesse, quam vt alterum huius dicti membrum, quod τὸν λόγον angelicam naturam adsumsisse, negat, & vnde recte concluditur: Christi redemtionem, satisfactionem & officium mediatorium ad angelos malos neutiquam spectare, nobis praecidant. Secus enim ipsis verendum esset, ne tota corruat de restitutione diabolorum per Christum speranda hypothesis, quam tamen adeo operose sibi ex aliis scripturae dictis, at male intellectis, fabricarunt. Malunt ergo in huius dicti explicatione â partibus esse *Socinianorum*, qui, ne concedere cogantur, quod Christus Filius DEI extiterit, antequam ex Maria natus sit, habeatque vere duplicem in vnitate personae naturam, easdem ferme exceptiones formant, vt vix ouum ouo sit similius. Debebat autem pudere homines Luthe-ranos, cum hostibus religionis Christianae idem cornu inflare. Vrgent saepius τὸ ῥητὸν primo obuium, & gloriantur contra Orthodoxos, se illud nunquam deserere; sed inanem esse gloriam, adparet vel ex allegati sacri textus eorum expositione, qua ῥητὸν primo obuium vtique deserunt in omnibus fere textus vocibus. Addunt etiam non addenda, & sensum extorquent, cui ipsa συνάφεια textus reclamat.

§. II.

Quamuis autem illam veritatem, quod Filius DEI adsumserit huma-

humanam naturam e bene multis Scripturae locis aliis, quae ex instituto hoc mysterium tractant, probemus, merito tamen contendimus, quod Apostolus eandem veritatem h. l. exprimat per illam propositionem: σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. Quod huius ἐπιλήψεως subiectum agens sit persona Filii DEI, Neo-Euangelistae non negant, nec negant Sociniani, Christum esse subiectum, quamuis illum personam nude humanam esse statuant. Sed praedicatum hoc cum obiecto eius: ἐπιλαμβάνεται σπέρματος Ἀβραὰμ, de adsumtione humanae naturae, seu incarnatione Filii DEI, adcipiendum esse, obiectis miris difficultatibus, omnino nolunt; cum tamen de verae humanae naturae â Filio DEI facta adsumtione vix aliquid dici poterat magis diserte & significanter. Sociniani ergo sensum propositionis hunc esse dicunt: Christus adsumit fideles, spirituale semen Abrahae, vt iis opituletur (a). Neo-Euangelistae, eadem ratione exponunt, modo τὸ assumere extendunt ad ingentem gloriam fidelium cum Christo prae Angelis bonis in regno suo millenario atque futuro per omnes aeonas: **Christus nehme die Gläubigen, den Geistlichen Saamen** Abrahae **an zu seinen Consorten, zu seiner Braut, zu seinen Mit-Regenten, als zu welcher Herrlichkeit die guten Engel bey weiten nicht kommen würden** ꝛc. (b) Nos ita exponimus cum b. Luthero: **Er** (Filius DEI) **nimmt den Saamen** Abrahae **an sich**, seu, in vnionem hypostaticam adsumit naturam vere humanam, quae in linea recta descendit ab Abrahamo, & Abrahae semen vocatur verissime non minus, quam eminenter. Hunc sensum semper in Ecclesia obtinuisse, (c) & textui conformem esse maxime, videbit, qui tantum vult sine praeiudicio.

(a) Vid. Catech. Racou. Anno 1612. edit. **Vom Wesen des HErrn Christi** Cap. I. p. 114. 115. Sequuntur toto agmine ENIEDINVS, OSTERODVS, SCHLICHTINGIVS, VOLCKELIVS, SMALCIVS aliique.

(b) Qua explicatione, quod textui multum addatur, & hypothesi duntaxat inseruiatur, quis est qui non videt?

(c) Eo ipso non negamus, quin fuerit in ecclesia, veterum & recentiorum interpretum vnus ac alter, qui τὸ *adsumere semen Abrahae* de fidelibus â Christo ereptis sibique clementissime vindicatis, exponat. Enimuero IVST. CHRISTOPH. SCHOMERVS, Theolo-

Theologus in hac Alma quondam meritissimus, auunculus noster desideratissimus in *Exeg. in Epist. Paulin. ad h.l.* breuiter sic commentatur: *Assumsit, nempe sibi filios, â metu mortis liberatos, non angelos malos, qui peccauerunt, sed illos qui habent Abrahamum fidei Patrem, & sic ad spirituale eius semen pertinent.* At si quis cum hoc, alius Theologus ita sentit, nec *Sociniani* nec Neo-Euangelistae ad eius consensum se recipere possunt. Nec enim is negat incarnationem Christi, vt illi faciunt, nec asserit diabolorum restitutionem, aut semini Abrahae â Christo assumto opponit bonos angelos, vt hi faciunt; opponit potius in summo rigore lapsos damnatosque angelos.

§. III.

Vocem ἐπιλαμβάνεσθαι non eandem semper admittere apud profanos & sacros scriptores significationem, negari non potest. At enimuero quaeritur de eius primario & formali significatu, â quo recedere non debemus, nisi flagitantibus per quandam necessitatem ipsius textus sacri rebus, argumentis & circumstantiis. In immensam nolumus descendere Criticam, nec omnes euoluere Lexicographos. Hoc dicimus, etiamsi ἐπιλαμβάνεσθαι aliquando notet: *Prehendere, adprehendere, accipere manu velut iniecta, vindicare, vt Goelis seu proximi consanguinei erat in V. T.* &c. (d) tamen hae significationes nondum exprimunt ipsam vocis literam, formalemque significatum. Ipsa enim vocis compositio primo statim obtutu facile docet, plus & aliud formaliter inuolui hac voce ἐπιλαμβάνεσθαι, quam simplici λαμβάνειν, aut aliis compositis προσλαμβάνειν seu προσλαμβάνεσθαι, καταλαμβάνειν &c. Est enim ἐπὶ τοῖς ἄλλοις λαμβάνεσθαι, *accipere, prehendere, adsumere aliquid vltra id quod iam habemus*: vnde quoque per: *augere*, it. *extremum sumere* redditur. Opponitur hoc sensu τῷ προλαμβάνεσθαι. Confirmant nos quoque analoga vocabula e. g. ἐπιδιαστέλλεσθαι *Gal. III.* 15. ἐπιχύειν *Luc. XXIII.* 5. ἐπιστρέφειν 2. *Tim. IV.* 3. ἐπισυνάγειν *Matth. XXIII.* 37. quae vltra id, quod per se iam significant, vi compositionis cum particula: ἐπί, augmentum rei & accessionem ad rem inuoluunt. Notiora haec sunt, quam vt multa probatione egeant. Quamuis ergo significationes tam simplicis verbi λαμβάνειν, quam

quam omnium compositorum pro rei exprimendae ratione & generatim, in hac voce ἐπιλαμβάνεσθαι comprehendantur, tamen illa per specialem & formalem significatum distinguenda est ab aliis; (e) Sicut enim particulae ἀνά, ἀντί, πρὸς, ἐπί per se non idem significant, ita iunctae simplici verbo λαμβάνειν, eidem diuersum significatum conciliare, extra dubium est. Veluti id in nostra vernacula vnicuique demonstratum est: quod τὸ nehmen, annehmen, aufnehmen, wiedernehmen, einnehmen, drübernehmen, zu sich nehmen, vel fassen, anfassen, auffassen, einfassen, in sich fassen, ꝛc. non idem exprimat. MATTH. POLVS (f) itaque vocem ἐπιλαμβάνεσθαι, ad hunc locum commentando, ita exponit: *The word therefore signifieth, to assume, or to take to one, to assume, or take into Vnion. He vnitet not to his person the anglical nature, the indiuidual substance of an angel, so as to redeem those sinnig lapsed spirits. But he assumed into vnion with his person the seed of Abraham &c.* Ipsi certe Neo-Euangelistae dictam vocem in hoc loco, veritate conuicti, non audent adeo generali sensu efferre, sed bene & ad literam exponunt, quamuis postea sua paraphrasi, quam textui adsuunt, datam semel veram expositionem, & ῥητὸν primo obuium, ne, de assumtione humanae naturae in hypostasin Filii DEI hic sermonem esse, ipsis concedendum sit, friuole dimittant. Ita PETERSENIVS: (g) ἐπιλαμβάνεσθαι ist nicht nur λαμβάνειν, nehmen, nicht nur προσλαμβάνεσθαι, aufnehmen, ertragen, nicht nur καταλαμβάνειν, ergreiffen; sondern etwas, das diese Bedeutungen alle einschliesset, und dem durch den Nachdruck des Wörtleins ἐπί noch was NB. Innigkeit beygelegt wird: zu-an-und in-sich annehmen, oder NB. hineinnehmen. Idem fideliter repetit M. GERHARDVS (h) totidem verbis, adiiciens: Dies sey das ῥητὸν primo obuium, und doch verliessen Orthodoxi hier dasselbe! quod tamen conuertendum in ipsos Neo-Euangelistas, qui postea *semen Abrahae* de fidelibus exponunt. Quomodo autem dici potest: Daß Christus die Glaubigen in sich annehme, und hineinnehme. Ne vnio quidem mystica fidelium cum CHRISTO illum conceptum admittit, multo minus status gloriae coelestis fidelium, quantus etiam omnino

ex mente PETERSENII & ſociorum illius eſſe poſſit. Quadrat illud potius ad adſumtionem humanae naturae CHRISTI in vnionem hypoſtaticam, nec illud admirabile, & omnem rationem transſcendens negotium Filii DEI aut magis graphice aut magis proprie potuit exprimi, ac h. l. expreſſum eſt. Cum enim ſaluator noſter eſſet *DEVS ex DEO*, *lumen è lumine*, *aeternum verbum Patris*, *DEVS benedictus in ſecula*, pro beneplacito ſapientiae ſuae & amoris, vt lapſum genus humanum redimeret, ab aeterna morte liberaret, & pro peccatis mundi ſatisfaceret, voluit vltra illam, quam per aeternam generationem habet, diuinam naturam, in temporis plenitudine adſumere naturam vere humanam, illamque ſibi adeo vnire, vt vtramque naturam vnâ ſuſtineret terminaretque perſona. Λόγος enim σὰρξ ἐγένετο *Io. I.* 14. Θεὸς ἐν σαρκὶ ἐφανερώθη 1. *Tim. III.* 16. conf *Ebr. II.* 14. Ita mediator factus eſt inter DEVM & homines, poſtquam ſibi adſciuit, & ſuperinduit naturam antea â ſe longe remotiſſimam, iam autem nunquam deponendam, vt cum, ac in illa carne ſedeat ad dextram Patris, perſona compoſita, Θεάνθρωπος, ſine exemplo homo. Cum ergo Filius DEI non ab aeterno fuerit homo, (i) ſed ſtato tempore *Gal IV.* 4. humanam naturam in vnitatem perſonae ſuae ſuſceperit, vt ab illo demum tempore ſit ἔνσαρκος; nonne illa adſumptio humanae naturae propriiſſime dicitur: ἐπίληψις τῆς σαρκὸς; numquae vox aptior erat ad iſtud negotium exprimendum, quam illa, qua Spiritus Sanctus, h. l. vtitur: ἐπιλαμβάνεται σπέρματος Ἀβραάμ. Nec obſtat, hoc ſenſu illam vocem apud profanos autores nunquam occurrere, & in ipſa Script. Sacra eſſe ἅπαξ λεγομένην. Quî enim huius myſterii aliquid apud profanos Scriptores occurrere poſſet, cum eius ſimile omnis rerum natura non habeat Scriptura autem hanc veritatem, quae h. l. indigitatur, tot phraſibus & toties tradit, vt hoc loco eamdem egregie exponere videatur, adhibita tali voce, quae, dummodo in ipſiſſima ſua proprietate intelligatur, non poteſt non huius myſterii veriſſimum & planiſſimum ſenſum lectori communicare. Ne enim quis cum NESTORIO vnionem vtriusque in Chriſto naturae definiat per

nudam

Landesbibliothek Oldenburg

nudam παράστασιν aut παράθεσιν, sed sciat, Filium DEI vere esse σεσαρκώμενον, (k) cautum voluit Sapientia DEI etiam hac voce ἐπιλαμβάνεται: *insuper-assumit, in se* i. e. *in suam personam suscipit, sibique vnit*; (l) quod optime Lutherus reddidit: Er nimmt an sich. Nec momentum trahit, si quis velit excipere, quod vox ἐπιλαμβάνεσθαι *per se non significet vnionem hypostaticam.* Satis enim est, quod aptissima sit, vt de illa vsurpetur. *Adsumere* apud Latinos pariter per se non significat vnionem hypostaticam, & tamen commode dicitur: *adsumptio hypostatica, adsumere hypostatice.* Quando iam huic verbo iungitur *obiectum*, de quo istiusmodi assumptio seu ἐπίληψις proprie, quin vnice praedicari potest, nimirum: *semen Abrahae*, nulla probabilis est ratio, quidni de adsumptione humanae naturae Christi in vnionem hypostaticam cum Filio DEI, hic textus agere existimari debeat.

(d) Vid. EDV. LEIGHII *Crit. sacr. ad N. T. p.* 236. *seqq.* CHRIST. STOCKII *Clav. ling. s. N. T. p.* 379 & plenius *p.* 613 IO. COCCEII *Commentar. sermonis Ebr. & Chald. p.* 123 & 981. aliosque Lexicographos. SOCINIANI quidem à nobis hic non sunt specialiter notandi, cum h. l. incarnationem Filii DEI contra illos ex instituto vindicare animus non sit. Egit illud cum aliis multis celeberrimis Theologis, b. IO. GVIL. BAIERVS in *Dissert. Theol. de assumptione seminis Abrahae, ad locum Ebr. II.* 16. Habita est *Ienae* 1693. Quantopere tamen à vocis ἐπιλαμβάνεσθαι proprietate recedant, vt probandae ex hoc dicto assumptioni hypostaticae humanae in Christo naturae, obicem ponant, satis adparet ex eorum in hunc locum & quoad hanc vocem commentationibus e. g. SMALCIVS *contra Grauerum p.* 13. vrget, idem esse, quod *iuuare, defendere conseruare*, SCHLICHTINGIVS *Comm. in Ep. ad Hebr. p. m.* 131. *significat*, ait, *proprie, manu aliquem adprehendere, siue vt illum aliquo ducas, siue vt sustentes; Hinc ad opitulationem significandam commode transfertur.* Eadem prorsus expressione vtitur, qui inter *Arminianos* celeberrimos merito numerandus est, PHIL. à LIMBORCH *Comment. ad Acta Apost. Ep. ad Rom. & Hebr. p.* 561. GROTIVS & CAMERON idem sentiunt, *& de liberatione à seruitute* exponunt, vt aequipolleat vocibus Hebr. תפש, אחז חזק. Vid. *magnum Opus Critic. Sacr. Vol. V. b. l.* CHRISTOPH. WITTICHIVS Reformatus *Investig. Epist. ad*

Landesbibliothek Oldenburg

Hebr. Forte, ait, ἐπιλαμβάνεσθαι *nunquam pro assumtione personali vsurpatur. Significat: vindicare suum!* Pro se adlegat PLATONIS aliquem locum. Addit quod hoc verbum etiam notet: *redimere, vt res tua fiat postliminio!* Componit oppido cum voce ebr. אחז. IEREMIAM FELBINGERVM vertere: sich eines annehmen: des Saamens Abrahae nimmt Er sich an, adnotat BAIERVS *l. c. p.* 31. sicut idem de I. H. REIZIO supra obseruauimus: sed, vti probari nequit, hanc vocem vnquam simpliciter sumi pro: *opitulari, tutari, defendere*, sich jemandes annehmen; quum sensu potius contrario legatur *Act. XXI.* 30. 33. ita quoque haut negatur, quin vox ἐπιλαμβάνεσθαι aliquando *vi contextus, & ex coniunctione cum alia voce ad iuuandum, liberandum, manu adprehendendum* relationem habeat. Ita sensum modificatum habet *Matth. XIV.* 31. Vbi nonsolum legitur: ἐπελάβετο αὐτοῦ, sed praecedit illud: ἐκτείνας τὴν χεῖρα: quod τὸ ἐπελάβετο determinat ad sensum *adprehensionis manu factae. Quamquam nec sic*, addit BAIERVS *l. c. p.* 27. *vniuersale est, vt opitulatio significetur, nam & illos manu prehendimus, quos punituri sumus.* Nec quaeritur, anne sensus huius effati *Ebr. II.* 16. tandem eo abeat, vt inde certi fiamus *factae per Christum liberationis ac redemtionis nostrae, speraudique in omnibus afflictionibus auxilii.* Ad finem enim illa omnia pertinent, quare Filius DEI non angelicam, sed nostram adsumserit naturam: Verum *de sensu proximo & immediato* huius propositionis, deque *natiuo & principali* significatu huius vocis ἐπιλαμβάνεται quaeritur; quum sensum modificatum vox heic nude posita non vltro admittat.

(e) BRAND. HENR. GEBHARDVS *Amic. disquisit: Continuat. de diabolorum & omnium damnatorum salute ac restitutione Gryphisw.* 1728. *p.* 13. *Notio vocis* ἐπιλαμβάνεσθαι inquit, *signat: super, vel ad suam substantiam aliquid sumere, siue sit accidens, siue substantia &c.* Pariter CASP. ERASM. BROCHMANNVS Theologus olim Hafnienſis, *Comment. in Epist. ad Hebr. h. l.* scribit: *de significatione verbi:* ἐπιλαμβάνεσθαι *ex ipsa vocis compositione omnium tutissime indicamus. Nemini autem non notum est, componi ab* ἐπί & λαμβάνεσθαι: *Quo circa vi compositionis haut quicquam aliquid est quam: supersumo!* Et paulo post: *Nec dubium est, quin Spiritus DEI singulari consilio adhibuerit verbum:* ἐπιλαμβάνεσθαι *ad explicandum incarnationis mysterium.*

(f) *Anno-*

Landesbibliothek Oldenburg

(f) *Annotations vpon the holy Bible* ad h. l.
(g) *Tom. Apocataſt. I.* im Geſpräch *P. III. p.* 135.
(h) *Syſtem. Apocataſt. p.* 310.
(i) Quamuis D. I. W. PETERSENIVS & vxor eius etiam hic ab orthodoxa Eccleſia diuortium fecerint & cum veteribus *Valentinianis*, it. cum VALENT. WEIGELIO, CHRIST. HOBVRGIO, aliisque, *Fanaticis*, quos notat COLBERGIVS im Plat. Hermet. Chriſtenthum *P. II. Cap. V.* §. 2. *ſeqq.* Chriſto tribuant humanitatem quandam coeleſtem, quam ab aeternitate & ab illa humana natura, quam in vtero b. Mariae Virginis adſumſit, plane diuerſam habeat & vnde ſit ab aeterno Θεάνθρωπος. Diuulgauit PETERSENIVS hoc nou-antiquum παράδοξον: In dem Geheimniß des Erſtgebohrnen oder Creaturen 1711. Et ſimul vxor eius MERLOVIA in dem Geheimniß des Erſtgebohrnen der von Anfang iſt, der GOtt-Menſch JEſus Chriſtus, An. eod. Quae & in *Biographia* ſua §. 37. qua ſingulari ratione ſibi hoc myſterium primo reuelatum fuerit, fuſius narrat. Sed inter Theologos, qui his ſomniis ſeſe oppoſuerunt, PETERSENIO abunde ſatisfecerunt b. D. BRAND. HENR. GEBHARDVS in *Diſp. de coeleſti humanitate* 1715. & LVD. MELCH. FISCHLINVS in *Myſterio primogeniti omnis creaturae* 1715.
(k) Vt *Patres* paſſim loquuntur, quibus etiam ſolenne eſt, Chriſtum adpellare: ἐνσώμαϑον Θεὸν, & adſumptionem humanae naturae ἐνσωμάϑωσιν, adnotante IO. CASP. SVICERO in *Theſauro Eccleſiaſt.* ad has voces.
(l) B. IOANNES QVISTORPIVS in *Comment. in Epiſt. ad Hebr.* ad hunc locum ita ſcribit: *Aſſumptionem hanc* ἐπίληψιν *nominat, & ita eam factam eſſe vi vocis indicat, vt aſſumens natura diuina aſſumtam humanam ſuam fecerit, & quaſi in peculium receperit. - - - Per hanc ipſam* ἐπίληψιν *haec humana natura diuinae ita eſt vnita, vt inter vtramque in vnitate perſonae arctiſſima ſit coniunctio.*

§. IV.

Nolunt autem hoc Neo-Euangeliſtae, ſed, vt ſuae hypotheſi inſeruiant, verbum ἐπιλαμβάνεται, quod vt ſupra diximus, non poſſunt non verae ſuae ſignificationi permittere, illique eamdem nobiscum poteſtatem concedere, addita tamen paraphraſi prorſum peregrina pro ſuo lubitu, adeo mirifice exponunt, vt Socinianos cunctos tam ſubtili interpretandi arte longe poſt ſe relinquant. Quod

Landesbibliothek Oldenburg

si autem ita ac hoc loco faciunt, liceret Scripturae literam flectere, quiduis sane ex quouis verbi diuini loco probari posset; quo ipso de omnibus veritatibus diuinis misere actum esset, totaque interpretandi ars ad ingenium nudum reduceretur, introducto simul in vniuersam Theologiam Scepticismo certissimo. Ita enim PETERSENIVS: (m) der Verstand ist: Christus hat ... seine auserwählte Gläubigen auf eine gewaltige, innige, eyffrige, und genau-liebende Weise, NB. zu und in sich aufgenommen, und hineingenommen, (n) als sein Kleid, welches er angezogen, (o) oder als seine geliebteste Brüder und Mit-Erben, ja als seinen Leib und Glieder ꝛc. woraus leichtlich abzunehmen seyn wird, daß die Annehung einen sonderbahren und fürtreflichen Grad der Seligkeit den Gläubigen zuführet. Dicit quoque: Dis annehmen sey zu einen gewissen Grad der Herrlichkeit, wozu die Gläubigen, als die Braut JEsu, über die Engel sollen erhaben werden, denn GOtt habe nicht den Engeln, sondern Christo und NB. seinen Gläubigen die zukünfftige Welt unterthan Ebr. II. 5. seqq. Prouocat ad varia loca ex Apocalypsi, indeque deducit: Daß die Gläubigen mit sollen auf Christi Stuhl gesetzet werden, und mit Ihm als Könige und Priester herrschen, nicht nur die zukünfftige 1000. Jahr hindurch, sondern auch in den dran hangenden Ewigkeiten derer Ewigkeiten, sc. donec Christus tradat regnum Patri. Addit: Die Herrlichkeit der heiligen Engel ist sehr groß, aber nimmermehr wird sie an die hohe Stuffe derjenigen überschwenglich-grossen Herrlichkeit reichen, welche die auserwählte Menschen mit Christo ihrem Oberhaupt ererben sollen ꝛc. Eadem in his, sicut in aliis, chorda oberrat M. LVD. GERHARDVS, ita scribens: (p) ἐπιλαμβάνεται heist so viel, als: zu- an- und in sich- hinein nehmen, dergestalt, daß Christus die geistlichen Abrahamiten NB. zu seinen Consorten, Brüdern, Mit-Erben und Mit-Regenten annimmt. Postea ait: Daß Christus seine Gläubige Erstgebohrnen annehme zu Königen und Priestern, welche Ehre den Engeln nicht wiederfahre ꝛc. Idem sentit GEORG. PAVL. SIEGVOLCK (q). Sed, quaeso, vnde habent licentiam, voci ἐπιλαμβάνεται. Er nimmt an sich, adponendi ista: zu seinen Consorten, Mit-Regenten, zu Königen und Priestern, zu solchen Grad der Herrlichkeit, dahinan die Herrlichkeit der auserwählten

wählten Engel bey weiten nicht reichen wird. Aut ista continentur in ipsa saepius repetita voce Textus, aut in συναφείᾳ eiusdem; atqui in neutra: ergo nullibi, nisi in ipsorum cerebro. Cum quoque Textus in se obscuritate nulla laboret, opus non est, vt illi sensus qualiscunque ê longinquo quaeratur, quem, dum modo fidei analogiae non contrarius sit, tolerandum iubeat necessitas, & defectus probabilioris interpretationis.

(m) *Tom. I. Apocatast.* im Gespräch *P. III. p. 135. seqq.*

(n) Nusquam Sacra Scriptura vtitur ista phrasi: Daß Christus die Gläubigen in sich auf- und hineinnehmen, nec hypothesis Neo-Euangelistarum de tanta fidelium prae Angelis gloria, nisi nos omnia fallunt, requirit istam phrasin. Plus enim de re dicitur, quam in re concipitur. Mystice quidem fideles in & cum Christo *vnum* dicuntur, *Io. XVII.* 21. 23. 1. *Cor. VI.* 17. *membra* dicuntur *corporis Christi mystici, cuius ille caput est*; *palmites* dicuntur *insiti in Christo viua vite Io. XV.* 5. Futuram quoque gloriosam fidelibus *receptionem* promittit Christus *Io. XIV.* 3. Sed haec omnia voce: ἐπιλήψεως nuspiam exprimuntur, potius vltimo loco legitur: παραλήψομαι. Quae vero etiam mysticae & propriae locutionis, mystici & proprii sensus diuersitas sit, nemo est qui nesciat. Ergo vnio Christi cum fidelibus & coniunctio fidelium cum Christo ad futuram gloriam longe alia est, quam illa vnio & coniunctio Filii DEI cum semine Abrahae, quae hoc loco *Ebr. II.* 16. describitur.

(o) Nec illa phrasis biblica est! Christus in sua perfectissima nobis promerita & per fidem adplicanda iustitia dicitur: ein Kleid das die Gläubigen anziehen, vt scilicet illa veste ornati DEO placeant, *Gal. III.* 27. *Rom. XIII.* 14. sed quod Christus induat fideles, legitur nullibi. Quid etiam illa dictione deberet indicari? num forte Christus indiget fidelibus, vt fideles Christo indigent, num ornatur Christus fidelibus, ac hi illo, fide adprehenso, ornantur? Sonat quidem phrasis, sed non sapit! Et tamen egregiis istis figmentis sibi nonsolum placent, sed & ab aliis videri volunt Apocatastaseos adsertores, quasi per se solos staret veritas & sana Scripturae explicatio.

(p) *System. Apocatast. Cap. III.* §. 374. & alibi.

(q) In dem von JEsu allen Creaturen zu predigen befohlnen Euangelio *pag.* 100.

§. V.

Landesbibliothek Oldenburg

§. V.

Pergimus ad obiectum praedicationis, quod cum verbo ἐπιλαμβάνεται coniungitur. Hoc est: *semen Abrahae*: σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. Quod si iam probari potest, quod per *semen Abrahae* indiuidualis illa humana natura, quam Filius DEI in vnitatem suae hypostaseos adsumsit, hoc loco omnium commodissime intelligatur; thesi nostrae non nocebit, si quis etiam, formali & primo significatu verbi ἐπιλαμβάνεσθαι neglecto, illud reddere velit per: *adprehendere, sibi vindicare, sustinere, recipere.* Nullo enim negotio euinci potest, hos conceptus satis recte adcommodari adunitionem hypostaticam, qua secunda Deitatis persona carnem nostram adsumsit diuinisque αὐχήμασι mactauit. Quis ille *Abraham* sit, cuius semen Filius DEI adsumsit, extra controuersiam constitutum est; Nimirum concedunt nobiscum, intelligi hic virum illum singulariter DEO dilectum, cuius in Lib. *Geneseos* occurrit historia vitae, qui pater est gentis Iudaicae, & ipsius Christi quoad humanam naturam ab illo originem ducentem; qui etiam pater mystice dicitur omnium fidelium. Nec multis euoluendum est, quid vox *seminis* notet, & quotuplici significatu veniat. Enimuero in textus nostri expositione physiologicam & grammaticam seminis notionem, qua denominamus nobilissimam sanguinis partem, quae negotio generationis destinatur, & quae suam vim prolificam in vtero foeminino concipiente exserit, adtendendum non esse, facile opinor, vnusquisque largietur. Ita enim semen Abrahae desiit cum vita eius naturali, simul cum corpore eius corruptioni obnoxium. Notat ergo *semen Abrahae* hos, & naturam horum, qui ab Abrahamo in linea recta descendentes, posteri sunt Abrahami. Ex semine alicuius esse, significat: ab aliquo generatum esse, hoc autem tam iis competit, qui immediate â patre suo progeniti sunt, quam iis, qui mediate ab aliquo communi stirpe originem ducunt. Relationis diuersitas est solum ex propinquitate vel longinquitate graduum in linea recta. Recte aliquis dicitur sui ataui & tritaui semen, seu progenies esse, quum si hic non generasset atauum, atauus abauum, ille auum, hic patrem, filius certe, cuius tritauus est, non extitisset;

iam

iam autem aeque tritaui ſui, ac patris ſui &c. ſemen eſſe dicitur, tantum huius immediate, illius mediate & per gradus deſcendendi. Vnde manifeſtum eſt, ſemen ita acceptum, non ſolum indiuiduam progeniem notare, ſed etiam collectiue ſumi pro numeroſa alicuius poſteritate. Inutilem operam ſuſciperemus, ſi illud vellemus argumentis roborare. Adeo enim apud omnes vſitata eſt haec notio, tam ex vſu loquendi, quam ex fundamento in re, vt, qui contra afferre aliquid vellet, contradicendi pruritum proderet, & fluctus, quod aiunt, in ſimpulo cieret. Qui tamen plura deſiderat, adeat FLACIVM (r) RAVANELLVM s) RECHENBERGIVM (t). Nec opus eſt, Scripturae loca, hunc loquendi ſenſum pariter ſeruantia adlegare, quum vel centum extent vnicuique notiſſima. His autem praemiſſis, notandum eſt, quod non niſi in triplici ſignificatu (u) vox: *Seminis Abrahae* in tota Scriptura ſiue V. ſiue N. T. occurrat. Aut enim ſumitur *in ſenſu vulgari & naturali*, vt notentur illi, qui ortum ſuae exiſtentiae atque naturae trahunt ab Abrahamo, & dependenter â ſemine eius producti ſunt, quocunque illud factum ſit gradu deſcendentiae, *Gen. XXI.* 13. 2. *Paralip. XX.* 7. *Luc. XIX.* 9. *Io. VIII.* 37. *Rom. XI.* 1. 2. *Cor. XI.* 22. Vnde eodem modo Chriſtum reſpiciunt dicta: *Gen. XXI.* 12. conf. *Hebr. XI.* 18. *Gen. XXVI.* 4. conf. *Gal. III.* 16. Aut vero ſumitur *in ſenſu peregrino & figurato*, vt notentur omnes vere fideles, qui veſtigiis fidelis Abrahami inſiſtunt; ille enim pater fidelium vocatur, cuius filii myſtici ſunt omnes, qui in Chriſtum credunt, ſiue ex Iudaeis ſint, ſiue ex qualicunque alia gente; *Rom. IV.* 11--17. *IX.* 7. 8. *Gal. III.* 7. 29. Aut tandem ſumitur in ſenſu *coniuncto*, hoc eſt, *naturali ſeu vulgari*, & *figurato ſimul*, vt notentur tam illi, qui ortum ſuum naturalem trahunt ab Abrahamo, quam illi, qui veſtigiis fidei eius inſiſtunt, cuiuscunque gentis fuerint. E. g *Gen. XV.* 5. conf. *Rom. IV.* 18. 19. reſpicitur ad vtrumque genus ſeminis ſc. naturale & ſpirituale, it. *Gen. XXII.* 17. conf. *Rom. IV.* 16. Poſteri ergo Abrahami, ſeu qui in ſua natura ab Abrahamo deſcendunt, ſiue illos collectiue ſumas: pro integra gente Iudaica, ſiue in ſenſu diuiſo, pro vno & altero indiuiduo huius gentis, *ſemen Abrahae* recte adpellantur in ſignificatu *primo*, hoc eſt vulgari & naturali. Inde

de adparet, quod Christus, quà filius hominis, seu secundum humanam naturam consideratus, *semen Abrahae* dicatur eodem & iure & sensu, quo omnes Iudaei & posteri Abrahami vocantur: semen Abrahae. Inter Iudaeos enim Christus natus, â muliere iudaica, quae ab Abrahamo in linea recta descendebat, ipse Iudaeus, & ab Abrahamo oriundus erat; & Iudaei dicuntur τὸ ἔθνος Christi *Io. XIIX. 35.* οἱ ἴδιοι χριστοῦ *Io. I. 11.* Hinc Scriptura, Christum secundum humanitatem docet *ortum ducere à Patribus Rom. IX. 5 Act. XIII. 23.* & mox *semen & germen Dauidis* adpellat, mox *semen Abrahami.* Ab vtroque enim Christus vero & naturali propagandi modo procedit vsque ad matrem suam Mariam; ceu adparet ex Genealogia Christi, quam Spiritus Sanctus exhibet *Luc. III. & Matth. I.* Quod autem ê Maria, vera & illibata virgine, absque concursu viri, vt *semen mulieris, Gen. III. 15.* praeter ordinarium naturae cursum, *Luc. I. 30-36.* nasci voluerit, id vero neutiquam obstat, quo minus *sensu vulgari & naturali* Christi humana natura vocetur: *Semen Abrahae.*

(r) *In Claui Script. Sacrae, tit. semen.*

(s) *In Bibliotheca sacra, tit. eodem.*

(t) *In Hiero-Lexico, tit. eodem.*

(u) Ad trinam hanc significationem omnia dicta, vbi de *semine Abrahae* dicitur, commode referri posse videntur. Ratio qnoque nulla est, quidni humanam Christi indiuidualem naturam in eamdem cum omnibus aliis, qui Abrahae posteri sunt, classem collocemus. Non enim minus proprie homo Christus ab Abrahamo descendit, quam omnes Iudaei, nec hi magis, quam Christus. Licet autem per nos aliis, ordinem sibi concipere alium de diuersitate Sensus, quo in Scriptura vox: *semen Abrahae* occurrit. Possemus ergo PETERSENIO etiam permittere suos conceptus, quando *Tom. Apocatast. I.* Im Gespräch *P. III. p.* 134. §. 4. scribit: Das Wort: Saamen Abrahae hat in der gantzen heiligen Schrifft nicht mehr als dreyerley Bedeutungen, 1) heisset es an einigen Orten so viel als: Die Persohn Christi, welche Benennung dieselbige führet wegen ihres Herkommens nach dem Fleisch *Gal. III. 16.* coll. *Gen. XXII. 18.* nicht aber die blosse Menschliche Natur Christi, ausser der persöhnlichen Vereinigung betrachtet. 2) Wird an sehr vielen Orten dadurch verstanden das Jüdische Volck, oder die leiblichen Nachkommen Abrahams, so ferne solche allen übrigen Völckern der Erden

den entgegen gesetzet werden ꝛc. 3) Endlich ist auch diese Benennung ein besonderer Ehren-Titul: Der wahren Gläubigen N. Testaments, so ferne selbige allen ungläubigen Juden und Heyden entgegen stehen, (citat nonnulla Scripturae loca probantia). Citra rationem vero numerum primum & secundum distinguit; cum tamen causa, quare Christus & gens Iudaica: semen Abrahae dici possunt, prorsus eadem sit. Omittit dicta Scripturae, in quibus semen Abrahae *coniunctim* notat tam naturaliter ab illo descendentes, quam spirituales filios, seu fideles. Tandem quoque, vt hypothesi suae inseruiat, adpellationem seminis Abrahae determinat ad *Christum personaliter spectatum; naturam autem*, propter quam tamen Christo illa adpellatio competit, potissimum & formaliter notari, negat. Quod vero quam absonum sit, infra pluribus dicendi occasio dabitur.

§. VI.

In interpretatione Sacrae Scripturae, vocum & dictionum sensum vulgarem & naturalem non esse deserendum, nisi vrgeat ipsa necessitas, fatentur nobiscum Neo-Euangelistae. Cum ergo hoc loco *Ebr. II.* 16. legatur, quod ὁ λόγος adsumserit *semen Abrahae*; ad *tropicum* huius vocis sensum, qui peregrinus & non vulgaris est, citra causam nec possumus nec debemus adtendere, nisi ê textus visceribus & è contextu adpareat, Spiritum Sanctum intendere sensum *figuratum*, & nisi ratio euidens ac sufficiens subsit, quare sensui vulgari locus non possit concedi, sed *figurato*. Per sensum *naturalem & vulgarem* seminis Abrahae, quando de Filio DEI h. l. dicitur: ἐπιλαμβάνεται σπέρματος Αβραάμ, nihil hic potest aliud significari, quam *vel* Iudaica gens (vt volunt quidam *Sociniani*) *vel* humana natura Christi. Si cum GROTIO ais: intelligitur populus Iudaicus, quasi textus de Christo dicat: *Id agit, vt vos Hebraeos liberet &c.* Quaero 1) Quaenam est huius populi nunc in N. T. (postea quam Christus, qui est *pax nostra & qui ex vtrisque vnum fecit, interstitium materiae diruendo*, *Eph. II.* 14) â Christo facta ἐπίληψις, prae aliis terrae gentibus? conf. *Es. XLIX.* 6. *Rom. III.* 29. *Act. X.* 35. *Gal. III.* 28. Taceo, quod ex reiectione huius populi, eiusque horrenda excoecatione, Iudaei proh! â Christo & eius regno sint remotissimi. 2) Quomodo ita satisfieri potest notationi vocis: ἐπι-

 λαμβά-

λαμβάνεται, de qua antea dictum est, & qua ratione ad se, & in se hunc populum Christus adsumsit? Vocatio gentilium ad regnum Christi meliore colore quaedam diceretur ἐπίληψις, vt significetur, quod Christus praeter Iudaeos tandem quoque Ethnicos adsumserit in regni sui subditos. 3) Qualis est, quoad hanc ἐπίληψιν, oppositio inter Iudaeos & inter angelos, quos Filium DEI adsumsisse, textus negat? Iudaei & Ethnici inuicem opponuntur in sacra Scriptura, nullatenus *Iudaei & angeli*; aut si vmquam illi opponi possunt angelis, tamen non quà Iudaei, sed quà homines sunt. 4) Quae ratio est in textu aut totius capitis συναφεία, vnde *semen Abrahae* de *Iudaica gente* explicare velis, cum huius gentis, qua talis, in toto capite nulla omnino mentio fiat? Satis ergo manifestum est, Iudaicam gentem hic non posse intelligi. Atqui *in sensu naturali & vulgari* aliud nihil restat, quod hic per *semen Abrahae* intelligi possit, quam *singularis illa natura*, quam ab Abrahamo descendentem, in suam hypostasin adsumsit & sibi personaliter vniuit Filius DEI; tertium sane non datur. Si enim citra absurditatem & apertam textui faciendam iniuriam dici nequit, quod Christus gentem Iudaicam siue totam, siue ex illa aliquas personas, adsumserit, & tamen in sensu vulgari & naturali permanendum est; *semen Abrahae*, quod ὁ λόγος adsumsit, non potest aliud quidpiam esse, quam illa humana natura, quam adsumsisse Filium DEI, toties & adeo aperte sacra Scriptura testatur. Si ais: *Ego vero per semen Abrahae intelligo fideles & dico, quod Christus illos prae angelis adsumserit ad ingentem gloriae cum ipso gradum*? Respondemus 1) Quod Christus ad ingentem gloriam prae Angelis adsumserit fideles, hypothesis est, de qua in hoc dicto ne hilum quidem legitur; probatione ergo indiget, quum sensum illum prolixum illa vnica vox: ἐπιλαμβάνεται nec actu exprimat, nec citra adiectas voces, quae istam modificationem indicant, exprimere possit. 2) Quaenam vero illa est necessitas & sontica ratio, recedendi à significatione *naturali & vulgari* τοῦ σπέρματος Ἀβραάμ, eligendique potius sensus *tropici*, siquidem ipsa propositio plana & perspicua est intellectu. Quae causa? quidni textus hic de eo agere debeat, quod Filius DEI, vt homines redimeret, humanam quoque adsum-

adſumſerit naturam, non angelicam? Certe illa erit, quod hypotheſis de reſtitutione diabolorum per Chriſtum, ſecus defendi non poſſit! Atqui iſtud non ſufficit, quum illa hypotheſis non minus, quam, quod *ſemen Abrahae* notet fideles, apertiſſime petat principium. Quaecunque ergo propoſitio & clara & vera eſt, ſi intelligitur in ſenſu vocum naturali, vulgari, proprio &c. illa male tractatur, ſi ſecundum ſenſum *figuratum* & ex hypotheſi explicatur. Atqui haec propoſitio: *ἐπιλαμβάνεται σπέρματος Ἀβραὰμ* &c. Ergo &c. 3) Fidelium & angelorum, ratione *ἐπιλήψεως oppoſitio*, quae hic abſolute & neutiquam limitate, legitur, vnde eſt? & quo medio termino probabitur? Fidelium enim & infidelium proprie eſt oppoſitio. Limitatam autem eſſe, ſeu quod ratione longe eminentioris gloriae, fideles tantum opponantur bonis Angelis, falſo ſupponitur; cum textus nec in littera, nec in iis, quae circumſtant de illa aliquid habeat. 4) Si Chriſtus ad tantam gloriam non Angelos, ſed fideles & electos adprehendit, quae conſequentia eſt verſus 17: *Ergo oportuit per omnia ſimilis eſſe fratribus ſuis, vt miſericors fieret, & fidelis ſacerdos apud DEum, ad expiandum peccata populi!* Quod enim Chriſtus ſimilis eſt fratribus ſuis (poſito) fidelibus, quid hoc facit ad maiorem gloriae gradum, quem fideles habebunt prae angelis? Atqui ex Apocaſtaſtiſtarum hypotheſi, Chriſtus angelicam quoque naturam poſſidet, (de quo infra pluribus): Ergo ſimilis eſt angelis. Ergo angeli eandem cum fidelibus habebunt gloriam! Idem ſane eſt argumentum, quod autem, ſibi ipſis non conſtare Neo-Euangeliſtas, aperte oſtendit. *Sacerdotium* quoque Chriſti *fidele & expiatorium*, item *perpeſſa tentatio Chriſti, vt tentatis poſſit ſuccurrere*, quam quaeſo relationem inuoluit ad longe maiorem gradum gloriae fidelibus prae electis Angelis conciliandum? Ex his & aliis rationibus iterum manifeſtum eſt, quod *ſemen Abrahae* intempeſtiue & non ſolum absque fundamento, verum etiam contra ſenſum & contextum dicti *Ebr. II.* 16. de myſtico ſemine Abrahae, hoc eſt, *de fidelibus*, exponatur.

§. VII.

Pro noſtra vero ſententia: *per ſemen Abrahae, quod Filius DEI adſumſit, in oppoſitione ad angelos, intelligi debere humanam Chriſti na-*

turam, militant: 1) Sensus vulgaris & naturalis τοῦ σπέρματος Ἀβραάμ, quum de Christo in humana natura, qua ab Abrahamo descendit, spectato, vere praedicetur, quod sit σπέρμα Ἀβραάμ. 2) Sensus proprius, & proximus verbi: ἐπιλαμβάνεται, quod vix melius collocatur, quam hoc loco, ad exprimendam adsumtionem humanae naturae in vnitatem personae Filii DEI. 3) Aperta sententiae deformitas, si quis per semen Abrahae, Iudaicam gentem hic vellet intelligere. 4) Magni interpretationis defectus, magnaque incommoda sensus, si quis: semen Abrahae in significatum tropicum trahere & de fidelibus exponere vellet. 5) Integer capitis contextus, siue sermonis nexus scopusque. 6) Egregia huius propositionis *vers.* 16. σπέρματος Ἀβραάμ ἐπιλαμβάνεται, cum *vers. seqq.* 17. 18. cohaesio. Quod enim dulcissimus Saluator voluit debuitque nobis per omnia similis fieri, & obnoxius esse tantis tentationibus, finem quidem vtique habuit officium eius sacerdotale & satisfactorium, at fundamentum habet ipsam incarnationem; quum si humanam naturam Filius DEI non adsumsisset, nobis quoque per omnia similis fieri nec potuisset nec debuisset. Radicatur ergo illa similitudo in identitate specifica naturae, quae redemptori cum redemptis communis est. Differt quoque vterque actus, vt *antecedens* & *consequens*, vt, posito illo, hoc etiam ponatur. Errat sane M. LVD. GERHARDVS, quando (x) illud ὁμοιωθῆναι Christi *vers.* 17. ratione modi exponit de *ipsa carnis nostrae adsumtione*, idemque omnino *bis repeti* putat, sic nempe παραφράζει: **Daher muste er allerdings NB. in Annehmung der Menschlichen Natur seinen Brüdern gleich werden.** Quod enim Christus ratione illius naturae, quam adsumsit, nobis similis, id est verus homo natus sit, illud satis aperte docuerat Spiritus Sanctus *vers.* 14. Sed similitudo naturae & substantiae non omnis est illa, de qua *versu* 17. dicitur; nec per eiusdem naturae participationem Christus etiam in omnibus aliis, quibus se sponte submisit, nobis similis factus esse, necessario concipitur. Enimuero huius ὁμοιώσεως in textu expressa ratio additur: ἵνα ἐλεήμων γένηται &c. it. *vers.* 18. ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι. Adparet ex

ex his, respici ad *adflictiones*, ad *tentationes*, ad *infirmitates*, ad *totum statum exinanitionis & formam seruilem*, in quibus omnibus miseriae nostrae, (peccato solo excepto) similis fieri voluit humanissimus Saluator (y). Quod enim Christus legi non morali solum, verum etiam ceremoniali subiectus esse voluerit *Gal. IV.* 4. quod, licet ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, tamen ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβών. *Philipp. II.* 6. 7. quod infirmitates nostras portare *Es. LIII.* 4. quod esurire, sitire, fatigari multo labore, quod adeo diabolicas tentationes experiri *Matth. IV.* 1. *seqq.* infandis tandem animae ac corporis doloribus, quin adeo morti violentissimae sese submittere voluerit, vt egestatem vitae, odium hostium, persecutiones, aliaque incommoda, quae â prima infantia vsque ad vitae exitum perpessus est, taceam; num vero haec omnia concipiuntur necessario, simul ac concipis, quod Christus verus homo sit? nonne sine his verus homo esse potuisset, sicut & iam est, sedens ad dextram DEI in summa gloria? Adparet ergo, GERHARDVM hoc comma non bene expendisse, eiusque exceptionem vero destitui fundamento.

(x) *System. Apocatast. Cap. III. p.* 315.

(y) Respiciunt certe huc omnes cordati interpretes B. J. C. SCHOMERVS, etsi per *semen Abrahae*. vt supra indicauimus, intelligat *fideles*, tamen ad vers. 17. ita brevissime commentatur: *Secundum omnia* NB. *& carnis & passionum ratione, vt eo studiosius ageret causam omnium. In exegeſ. ad Epist. Paulin. ad h. l.* Compar. SEBAST. SCHMIDIVM *in Epist. ad Hebr.* ad h. l. IO. QVISTORPIVM *Comment. in Epist. ad Hebr.* h. l. IO. GERHARDVM *Comment. in Epist. ad Hebr.* h. l. aliosque plures. Ipsi certe *Sociniani*, *Arminiani*, *Calviniani* ad nudam substantiae humanae similitudinem hoc κατὰ πάντα ὁμοιωθῆναι non restringunt, nisi contra scripturae literam & fidei verae analogiam illud nimis extendant. Nemo sane illorum negat, ad passiones, tentationes, & infirmitates, quas Christus subiit, h. l. respectum haberi.

§. VIII.

Audiendum autem erit, quid contra orthodoxam nostram de illa propositione, σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, sententiam excipiant Neo Euangelistae. Certe iisdem plerumque, quibus *Sociniani*, vtuntur argumentis, eadem mouent dubia, ad quorum praeci-

praecipua paucis respondendum erit. Primo quidem, quominus de adsumtione humanae naturae in vnionem personalem Filii DEI, hic locus agere credatur, obstare dicunt vocem: ἐπιλαμβάνεται, quae *praesentis temporis* sit; Debuisse enim dici: ἐπελάβετο, quum *actus adsumendi* humanam naturam, qui dicitur *vnitio*, *iam dudum, semel autem, factus sit* illo tempore, quo Christus conciperetur in vtero b virginis Mariae (z). Putant ergo, hic potius indicari talem adsumptionem, *quae iam facta sit elapsis temporibus, quae adhuc hodie fiat, & in posterum futura sit.* Illam vero continuam adsumptionem seminis Abrahae commode praedicari *de adsumtione fidelium ad ineffabilem prae angelis cum Christo percipiendam gloriam.* Rident aeque ac *Sociniani* praetextam *temporum enallagen* (a). Sed respondemus: 1) non adeo insipidum esse, si quis ad *enallagen temporum* provocare hoc loco vellet; Quod enim illa in Scriptura haut raro occurrat, manifestum est, praesertim in rebus historicis. Inter varia, quae hic induci possent, loca, quorum nonnulla FLACIVS & GLASSIVS notarunt, merentur adtendi, quae ex ipsa hac Epist. ad Hebr. obseruat IO. GVIL. BAIERVS (b). Nam *Cap. I. versu* 7. legitur; ὁ ποιῶν, cum dici potuisset: ποιήσας *angelos spiritus* &c. *Atqui in prima creatione*, inquit, *tales fecit, non nunc demum facit. Cap. II. versu* 14. legitur: Τὰ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς, cum tamen idem fiat hodie & in posterum; vt in *praesenti tempore* verbum aptius collocari videatur; sicut & reddit versio Lutheri: Wie nun die Kinder Fleisch und Blut an sich haben ꝛc. Eodem versu de Christo dicitur: μετέχε τῶν αὐτῶν, in *praeterito*; cum tamen illius, quam adsumsit, naturae, *adhuc hodie* particeps sit; vt: μετέχει rectius dici videatur (c) Quidni ergo verbum: ἐπιλαμβάνεται aeque posset accipi in significatione *praeteriti*? 2) Non sine emphasi & singulari consilio Spiritus Sanctus videtur hoc verbum in praesenti tempore collocasse; nimirum *ut immutabile ac semper sibi constans propositum Christi indicaret*, quo misereri vellet humani generis, neutiquam vero angelorum lapsorum, vtpote quorum naturam nec adsumserit vnquam, nec adsumat hodie, nec adsumturus sit in posterum. Illa enim propositio: οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, sicut primo

mo loco ponitur, ita primario intendi videtur, nec additur sequens propositio: σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, nisi vt per illam oppositionem prior propositio eo clarior ac firmior fiat. Particula quoque: οὐ δήπου, quae siue per: *nunquam*, siue: *nusquam*, reddatur, perinde erit, illud confirmat, vt sensus sit: *Nullo tempore adsumit vel adsumet Christus angelos; Nullo quoque loco Scripturae* V. vel N. Testamenti, *se angelos adsumturum esse, ait vel promittit; scriptura illud penitus ignorat!* &c Cum ê contrario toties inueniatur promissio de exhibitione Filii DEI in carne humana, vt humani generis redemtor sit ac mediator. Satis etiam adparet, aduersarios solum, vt hypothesin suam tueantur, hic nodum in scyrpo quærere; cum nemo non sciat, communi dicendi ratione *praesens* poni pro *praeterito*, citra quod sensui obscuritas, aut dictioni vitium eo ipso concilietur. Omnia quae ad viuum exprimuntur, *in praesenti* solent narrari. Quid vitii inest locutioni: *Ecce Christus, vt suum nobis demonstret amorem, nascitur nobis infans, legi subiicitur, se ipsum pro nobis offert victimam, nostra portat peccata, sanguinem fundit, moritur, seque totum pro nobis deuouet.* Nemo certe hic offendetur verbo praesentis temporis, cum satis notum sit, quo sensu dere, quam factam iam esse nouimus, in praesenti dicatur. Millies istiusmodi locutio occurrit in communi vita, ac familiaris est omnibus hominibus. 3) Quid, obstat quominus credamus, ipso hoc praesentis temporis verbo: *adsumit semen Abrahae*, emphatice indicari, quod Filius DEI illam naturam, quam semel adsumsit, *semper & in aeternum retinere, nunquam deponere velit.* Etiamsi quoque vnitio transiens ac dudum facta est, tamen vnio, quae aeternum durat, quid est aliud, quam continua vnitio? Continuatur autem per ineffabilem περιχώρησιν, quae continuum actum mutuae vtriusque naturae non solum intimae praesentiae, sed & realissimi, diuinissimi & nunquam terminandi influxus Filii DEI in adsumtam humanam naturam significat. 4) Ipsis Neo-Euangelistis idem dubium pari iure potest moueri. Quando enim τὸ: ἐπιλαμβάνεται σπέρματος Ἀβραὰμ exponunt: *de fidelium ad insignem prae angelis gloriam introductione;* Christus nehme die Gläubigen in sich hinein zu einen überschweng-

lich-höhern Grad der Herrlichkeit, als die Engel haben, zu Mitt-Regenten im 1000 jährigen Reich, und allen künfftigen Ewigkeiten; quo sensu cum hac expositione conciliabunt *praesens*: ἐπιλαμβάνεται. Res enim *futura* est, & per verbum *futuri temporis* debebat significari. Fatendum nimirum iis est, regnum millenarium nondum ingruisse, gloriam fidelium etiam illorum, qui coelitibus iam adscripti sunt, ad suae perfectionis gradum nondum pertigisse. Sicut enim ipsius regni Christi gloria plenarie manifestabitur in millenario, quod sperant, & per omnes aeonas vsque ad diabolorum ex inferno factam restitutionem; ita hactenus fideles nondum actu regnant cum Christo, sie sind noch nicht als Braut heimgeführet, sie sitzen noch nicht mit Christo auf seinem Stuel; per consequens ad tantam gloriam, quae illam angelorum longe post se relinquere fertur, nondum peruenerunt, sed introducto regno millenario haec scilicet demum omnia fient. Quod itaque nobis respondebunt, illud habeant responsum sibi ipsis (d)!

(z) Ita M. LVD. GERHARDVS *Syntem. Apocatast. Cap. III. pag.* 314. Dieses Wort stehet klar und deutlich in praesenti indicatiui, und zwar in dem 16. vers zu zweyen mahlen rc. Man kan ja von Christo nicht sagen in praesenti, daß er noch jetzo die menschliche Natur annehme; (nam vnitio est transiens, & momentanea: wie KOENIGIVS in *Theol. Acroam.* gar wohl schreibet;) sondern es müste vielmehr heissen im praeterito: daß Christus nicht die Englische, sondern die menschliche Natur an sich genommen habe; indem ja solches in vergangenen Zeiten, in dem Leibe der Jungfrau Mariae geschehen: Wie es denn auch also im praeterito lautet in dem vorhergehenden 14. vers Nachdem nun die Kinder Fleisch und Blut haben, NB. ist ers gleichermassen theilhafftig worden (μετέχε τῶν αὐτῶν:) Vrgent idem *Sociniani*, inter quos SCHLICHTINGIVS *Comment. in Epist. ad Hebr.* ad h. l. *Non posse autem*, inquit, *ipsa huius loci verba ad assumptam à Filio DEI humanam naturam trahi, agnouit etiam vnus ex praecipuis Pontificiorum Interpretibus*, (FRANCISCVM RIBERAM putat) *in hunc locum scribens: Quod vtrobique sit verbum praesentis temporis: Quae autem causa*, inquit, *esse potuit locutionis huius, vt praesens hic pro praeterito vsurparet? Quomodo proprie dici potest, Christum nunc assumere humanam naturam?* Eodem tramite incedit SMALCIVS. *Non considerat*, scribit aduersus SMIGLECIVM *p.* 126. *verba*

ba autoris illius de re loqui, quae tunc, cum ille scriberet, adhuc perficiebatur, & quae adhuc perfici, dici potest. Vtitur enim voce non temporis praeteriti, qualis scilicet requirebatur, si incarnationem istam monstrosam describere voluisset; sed praesentis &c. Adstipulatur LIMBORCHIVS, CAMERON aliique ad h. l.

(a) Ita M. GERHARDVS *Syst. Apocalypt. Cap. III. p.* 314 Was ist also dabey zu thun? Antw: da ist nun weiter kein ander Mittel mehr übrig, als daß Orthodoxi wiederum ihre Zuflucht zur Critique nehmen, und sagen müssen, daß allhie per enallagen das Praesens gesetzt sey für das Praeteritum. Plura addit acerbe & per cavillationem dicta. *Sociniani*, & inter hos SMALCIVS pariter rident enallagen temporis praesentis pro praeterito, & hanc rarissime duntaxat occurrere contendunt.

(b) *In Dissert. de adsumptione Seminis Abrahae p.* 14. § 20.

(c) Haecce loca forte non adtendit DN. FRANCISCVS WOCKENIVS in *Tr. Enallagae è N. T. graeci Textus praecipuis & plurimis locis exterminatae, Witteb.* 1730 cum tamen ex *Ebr. I.* comma 2. & *è Cap. II.* comma 16, expendat. Interim non ostendit, quod in verbo: ἐπιλαμβάνεται enallage locum non habet, sed diuersas solum sententias interpretum adlegat, & qua ratione praesens tempus cum cuiusque expositione concilietur, edisserit.

(d) Equidem M. GERHARDVS *l. c. Cap. III. p.* 314. se ita expedire conatur, vt dicat: *tempus praesens indicare actum continuum*, daß Christus nicht die Engel, sondern die Gläubigen zu seiner Braut annehme, das habe er gethan in den vergangenen Zeiten, werde es ins künftige thun, und thue es noch gegenwärtig an allen wahren Gläubigen. Sed primo quaeritur, si illi licet verbum *praesentis temporis*, quod adeo stricte vrget, quando contra nostram interpretationem agit, tamen quando suae hypothesi colorem quaerit, *extendere ad actum continuum, vt omnia tempora includat*; quidni nobis licebit, verbum praesentis temporis, cum maximum adsit rei fundamentum, interpretari *de immutabilitate decreti, de continuitate vaticiniorum Scripturae, de perpetuitate περιχωρήσεως, vnde vnio duarum in Christo naturarum aeterna est, nullisque temporibus terminatur.* Secundo nullatenus probatum est, dici h. l. de tali assumptione, da Christus die Gläubigen zu seiner Braut und Mitt-Regenten annehme, und ihnen eine weit grössere Herrlichkeit gebe, als den heiligen Engeln. Quomodo ergo ex illa hypothesi rationem reddere potest verbi ἐπιλαμβάνεσθαι *in praesenti* tempore collocati? Tandem quoque sibi & PETERSENIO hac ratione ipse contradicit.

dicit. Dederunt enim talem verbi huius significationem, quae *actualem* dicit fidelium de gloria Christi prae Angelis participationem in regno millenario & in mundo (vt volunt) futuro per temporum Oeconomias; Quo pacto h. l. de illa omnino dicendum esset *in futuro!* M. GERHARDVS uero iam sibi non constat, sed rationem de vsurpatione verbi praesentis reddens, eo delabitur, vt ἐπίληψις fidelium illi hic sit NB. *nuda designatio & destinatio fidelium ad ingentem illam* gloriam, qua Angelos superabunt aliquando.

§. IX.

Aliud vero obiiciunt dubium Neo-Euangelistae, quominus admittant: *semen Abrahae* h. l. *esse naturam humanam*, quam Filius DEI in personae vnitatem adsumsit. Nimirum concedunt, quod Christus dicatur *in sua persona: semen Abrahae*, sed quod humana Christi *natura in abstracto* dicatur: *semen Abrahae*, illud strenue negant; adeo quidem, vt M. LVD. GERHARDVS omnes Theologos prouocet, vt sibi ê tota Scriptura vel vnicum locum ostendant, vbi *semen Abrahae* significet humanam illam ab Abrahamo oriundam *naturam*, quam Filius DEI adsumsit. Quodsi autem illud non possit probari, satis putat euictam esse veritatem, quod per *semen Abrahae* intelligendi sint *fideles*; *nisi satis etiam absurde dicere velimus: quod Christus adsumserit Christum* (e). At vero respondemus 1) Falsum esse, quod per semen Abrahae, quando Christus ita adpellatur, *principaliter, aut in oppositione naturae humanae, significetur eius persona*. Proprie loquendo personalitati haec praedicatio: *esse semen alicuius*, plane non competit. Personalitas enim non est ipsa substantia, sed substantiae accedit duntaxat, vt singularis & completa sit. Quando ergo de quadam persona dicitur, quod sit *semen, vel de semine* alicuius, tunc *notatur praecipue substantia seu natura, & connotatur persona*; quia secundum ordinem naturalem nusquam datur entis alicuius singularis, siue simplex sit siue compositum, substantia seu natura, absque quod illud simul habeat subsistentiam, id est, actum existendi singulariter, complete & incommunicabiliter. Deinde, cum certum sit, Christum vnicam esse, non duplicem personam, ideoque naturam eius humanam non terminari propria personalitate, sed in se esse ἀνυπόστατον, personalitatem Christi etiam, quamuis

ob

Landesbibliothek Oldenburg

ob vnionem naturarum hypostaticam, ipse dicatur persona σύνθετος, tamen esse diuinam τοῦ λόγου, haec persona diuina τοῦ λόγου abstractivè spectata non potest citra enormem vtique errorem dici: *ab Abrahamo esse*, conf. *Io. VIII.* 58. non potest *principaliter notari* per *semen Abrahae*, at potest *connotari*. Recte autem connotatur, quia natura Christi humana non separata existit, sed personalitate vera terminatur, quamuis non propria, sed τοῦ λόγου. Ob hanc causam Spiritus Sanctus hoc loco mentionem faciens τοῦ σπέρματος Ἀβραὰμ, non inquit vti grammatice debebat: ὅ ἐστι χριστὸς, sed vt idiomatica fiat propositio, ait: ὅς ἐστί χριστὸς. Temerarium satis postulatum est, loca Scripturae plura debere adlegari, in quibus: *semen Abrahae* significet *naturam humanam in abstracto*. Siquidem enim nulla datur natura hominis â personalitate reuera abstracta, ita fieri non potest, vt de illa, isto modo, dictio occurrat. Sed vero Christi natura humana vnica est, quae propria caret hypostasi, & Christus in hac etiam consideratione homo est sine exemplo. De Christi itaque humana natura, extra vnionem quoque personalem spectata, dici potest, quod sit *semen Abrahae*. Illud enim quod generatum est in Maria & ex Maria, sine omni dubio formaliter & verissime dicitur: *semen Abrahae*; Atqui formaliter in, & ex Maria generata est humana Christi natura (dicitur in abstracto τὸ γεννηθὲν, non ὁ γεννηθεὶς, *Matth. I.* 18. τὸ γενόμενον ἐκ Μαρίας, non ὁ γενόμενος *Luc. I.* 35. Ergo *humana Christi natura formaliter dicitur: semen Abrahae*. Cum autem humana Christi natura in & ex Maria generata statim â primo conceptionis momento â Filio DEI in suam personalitatem adsumta sit, & nunquam vt nuda natura, sine personalitate extitisse concipiatur, agere vero & pati sit personarum; hinc recte etiam *de tota persona* dicitur: *quod Christus sit natus, quod sit filius Mariae*, per consequens, *quod sit semen Abrahae*; subintellecta semper tamen vindicatione huius praedicati ad humanam naturam, cui formaliter, per se & subiectiue competit. Conf. *Genes. XXVIII.* 14. & *Gal. III.* 8. vbi legitur: *Per te, & per semen tuum benedicentur omnes gentes!* quod dici non posset de *Abrahamo* & *Jacobo*, nisi respectu generationis physicae eius naturae, quam Filius DEI ad-

ſumſit. Extra enim illum generationis actum peculiarem ad Chriſtum non habent relationem. Circa ſimilem autem, quin eandem ſpecie producendam naturam occupatur actus generationis. Ergo illa per Abrahamum producenda ſuae ſimilis natura, quae Chriſti facta eſt, *formaliter* dicitur: *ſemen Abrahae.* *Sociniani* eadem temeritate poſtulant, vt è locis Scripturae aliis probetur, quod: *accipere ſemen alicuius, idem ſit, ac naturam alicuius accipere.* Nec enim *accipere ſemen alicuius,* dici poteſt de nudo homine, qui non fuit, antequam fuit. Cum vero tot diſertis Scripturae effatis apertum ſit, Filium DEI extitiſſe ab omni aeternitate, priusquam humanam naturam adſciuerit, in temporis autem plenitudine illam adſumſiſſe; illud poſtulatum irritum eſt, & argumentum: *Quidquid ſui ſimile non habet, illud falſum eſt!* ineptum iudicatur, quum iſta ratione etiam de exiſtentia DEI, qui pariter ſui ſimilem non habet, poſſet dubitari. 2) Vera igitur eſt propoſitio: *Chriſtus eſt ſemen Abrahae Gal. III. 16.* ſed & veriſſima: *humana natura Chriſti eſt ſemen Abrahae Ebr. II. 16.* *Prima* eſt propoſitio idiomatica primi generis, ita explicanda: *Chriſtus, quoad ſuam humanam naturam, quum illa ab Abrahamo vere deſcendat, eſt ſemen Abrahae!* Praedicatur ibi per adpropriationem perſonalem illud: *ſemen Abrahae eſſe*, de tota perſona Chriſti, quod tamen formaliter naturae humanae competit. Fundamentum praedicationis eſt vnio perſonalis, per quam humana natura ſuſtentatur hypoſtaſi Filii DEI. *Altera* eſt plane naturalis, nec vllum ſanae menti mouet dubium. Enimuero argumentamur: Per humanam naturam Chriſtus eſt ſemen Abrahae, ergo multo magis natura Chriſti humana ipſa, ſemen Abrahae eſt. Nam per quod quid tale eſt, id magis tale eſt. Qua ergo veri ſpecie Neo Euangeliſtae negabunt, quod humana Chriſti natura ſit ſemen Abrahae, cum Chriſtum ipſum: *ſemen Abrahae*, recte dici, negare non poſſint. Aperte autem fatentur: (f) *Chriſtum in perſona dici: ſemen Abrahae! NB. propter humanam naturam*, item: *propoſitionem, quae legitur Gal. III. 16. Chriſtus eſt ſemen Abrahae! eſſe propoſitionem primi generis!* 3) Hinc quoque adparet, falſiſſimum eſſe ſyllogismum: *Si Chriſtus adſumſit ſemen Abrahae, ſequitur, quod Chriſtus adſumſerit Chriſtum. Atqui verum*

Landesbibliothek Oldenburg

rum est prius! Ergo & posterius! Maiorem enim propositionem rectissime negamus. At illi probant: *Si Christus dicitur esse semen Abrahae, sequitur, quod si Christus adsumsit semen Abrahae, adsumserit Christum suus seipsum. Aqui verum est prius: Gal. III. 16. Ergo posterius!* Sed limitamus maiorem: *Si Christus dicitur esse semen Abrahae in NB. persona sua aeterna, formaliter spectata, sequitur: quod, si Christus adsumsit semen Abrahae, Christus adsumserit Christum.* Sic concedimus maiorem, at negamus minorem; Christum enim *in persona sua formaliter considerata,* semen Abrahae dici non posse, paulo ante demonstrauimus. Limitamus etiam: *Si Christus dicitur esse: semen Abrahae NB. in sua humana natura, vel quoad suam humanam naturam, sequitur, quod si Christus adsumsit semen Abrahae, Christus adsumserit Christum.* Ita negamus maiorem, & concedimus minorem propositionem. Quam etiam fallax sit Apocatastatistarum ille Syllogismus, adparet ex ista forma, quae huic argumento propria est: *Christus est semen Abrahae. Christus adsumsit semen Abrahae. Ergo Christus adsumsit Christum.* Ex puris autem particularibus nil sequitur, & argumentum quatuor constat terminis; in secunda quoque Fig. ex puris affirmantibus nihil sequitur. Tandem monendum est, quod illa propositio: *Christus adsumit semen Abrahae!* vnde concludit GERHARDVS: *quod Christus adsumserit Christum,* valde incongrua sit, & in Scriptura nusquam legatur. CHRISTI enim nomen indicat personam σύνθετον & *supponit vnionem* naturarum hypostaticam. Adsumtio autem humanae naturae in hypostasin τοῦ λόγου est *actus personae simplicis extra statum vnionis* vtriusque naturae consideratae. Ergo negamus propositionem minorem primi Syllogismi: *Christus adsumsit semen Abrahae!* Dici enim debebat: *Filius DEI adsumsit semen Abrahae.* Pudere autem debebat viros, veritatem tanti, vt aiunt, ponderis defendentes, sophisticis his artibus illam vltro prostituere.

4) Quandoquidem ergo ex hactenus dictis adparet, Christum ipsum vere & recte dici: *semen Abrahae,* in *persona* spectatum: *adpropriatius,* in *natura autem humana: formaliter & physice;* summum iam rei argumentum ducimus ex *Gal. III. 16.* Vbi *Christus illud* dicitur *esse semen Abrahae,* dudum promissum. Argumentamur: *Si Christus in humana natura & secundum illam formaliter est semen Abrahae, sequitur,*

quod

Landesbibliothek Oldenburg

quod, quando Filius DEI dicitur ἐπιλαμβάνεσθαι *semen Abrahae, ille dicatur adsumsisse naturam suam humanam. Atqui verum est prius, Ergo & posterius!* Ergo *Ebr. II.* 16. Ἐπίληψις σπέρματος Ἀβραὰμ est ἐπίληψις ἀνθρωπίνης φύσεως. Quod enim Paulus vltimo loco dicit: *Filius DEI adsumsit semen Abrahae*, propositio est fluens ex vnitione; Subiectum est persona simplex diuina, praedicatum est actus vnitionis, obiectum vnitionis est natura humana, quae ab Abrahamo descendit. *Gal. III.* 16. vero, vbi *Christus* dicitur *esse semen Abrahae*, est propositio idiomatica primi generis; subiectum est concretum personae compositae, praedicatum est idioma naturae humanae, fundamentum autem praedicationis est identitas personalis, secundum quam idem subiectum simul DEVS est, simul homo; adeoque praedicatum ei naturae vindicandum, cui formaliter & per se competit.

(e) Ita PETERSENIVS *Tom. I. Apocatast.* Im Gespräch *P. III. p.* 134. kein einiger Orth aus der gantzen Schrifft kan angeführet werden, allwo das Wort: **Saamen** *Abrahae*, so viel hiesse, als: **Die menschliche Natur in** *abstracto*, so fern die andere Persohn in der Gottheit selbige in ihre persöhnliche Einigkeit aufgenommen habe, . . Daß die erste Bedeutung, da nemlich das Wort: **Saamen** *Abrahae* so viel bedeutet, als die **Persohn des HErrn** *Messiae*, oder Christi, allhie keinen Raum finde, ist offenbahr, und bedarff keines Beweises, denn was sollte dieses heissen: **Christus nimmt den Saamen** *Abrahae*, das ist: **Christum oder sich selbst an.** M. LVD. GERHARD. *System. Apoc. C. III. p.* 306. §. 365. Es kommt, ait, hauptsächlich darauf an, daß Orthodoxi beweisen, daß durch **den Saamen** *Abrahae* allhie müsse verstanden werden **die menschliche Natur!** *p.* 318. §. 385. Nun so bitten wir denn, daß Orthodoxi nur eine eintzige Schrifft-Stelle produciren mögen, worin durch den Saamen Abrahams verstanden werde **die menschliche Natur**; wo sie das thun können, so wollen wir kein Wort mehr sagen. Ipsam solemnem prouocationem, vt hoc praestent Orthodoxi, exhibet *pag.* 319. Vbi addit: können sie das nicht thun, so sind sie Sachfällig! *p.* 321. dictum illud *Gal. III.* 16. satis absone sibi, loco responsionis, opponi putat, quum Apostolus ipse explicationem seminis Abrahae dederit, immediate adiiciendo: ὅς ἐστι χριστός, Christi ergo personam indigitari, non naturam hamanam: daß also, ait, durch den Saamen Abrahae allhie kein

kein anderer verstanden wird, als **Christus**; nemlich der gantze Christus, GOtt und Mensch in einer unzertrennten Persohn rc. *p* 322 Soll denn nun Christus und die menschliche Natur ein Ding seyn ... es würden wunderliche Folgereyen daraus entstehen! *p.*323. Es hiesse ja so viel, als: **Christus nimmt Christum an sich**, das hiesse so viel als nichts.

(f) PETERSENIVS *Tom. I. Apocaast.* Gespräch *P. III. p.* 134. M. LVD. GERHARDVS *System. Apoc. Cap. III. p.* 321. de illo loco *Gal. III.* 16. disserens: Von dieser gantzen Persohn nun, recte ait, wird secundum primum genus communicationis idiomatum gesagt, daß diese gantze Persohn sey ein Saamen Abrahams, NB. verstehe nicht nach der Göttlichen, sondern nach der **menschlichen Natur.** Cum ergo hic *Gal. III.* 16. vox *seminis Abrahae in sensu composito* sumatur de persona & natura simul, *Hebr. II.* 16. vero eadem vox reperiatur *in sensu diuiso* de natura humana extra vnionem spectata, & propria personalitate carente; mirum est, quod GERHARDVS ab altera propositione & dictione, contra alteram argumentum desumere & negare velit, quod vltimo loco *Ebr. II.* 16. σπέρμα Ἀβραὰμ notet *naturam Christi humanam*, ex illa ratione, quia haec denominatio *in sensu composito competat & naturae & personae Christi simul Gal. III.* 16. Recte ad hunc locum BRAND. HENR. GEBHARDVS *Disquis. de diabolorum & omnium damnatorum salute ac restitutione p.* 24. ita scribit: *Vbicunque seminis Abrahae fit in scripturis mentio, naturam humanam, ab Abrahamo propagandam, connotari, euidens est, siue Christus semen Abrahae dicatur (e. g. Gal. III.* 16.*) siue in genere quiuis Abrahae posteri. Hoc qui negat, eum quoque negare oportet, in concreto formam, in docto doctrinam, in igne calorem connotari. Quae itaque te, inquit, intemperies agit, SCOTINE, vt asseras, semen Abrahae nusquam in sacris naturam humanam notare? Aut an connotare, non est notare?*

§. X.

Obiicit tertio M. LVD. GERHARDVS (g) quod si Spiritus Sanctus *Ebr. II.* 16. intendisset adsumptionem humanae naturae hypostaticam, rectius dixisset: *semen Adami*, quam: *semen Abrahae; quum non Abrahamus sed Adamus pater sit omnium hominum, seu totius humani generis!* Putat ergo, Orthodoxorum explicationem sensum inuoluere absurdum, & manifesta falsa prodere. Hinc concludit, quod illa propositio: *Filius DEI adsumit semen Abrahae; citra absurditatem*

Landesbibliothek Oldenburg

tem & rei falsitatem non possit ita intelligi: *Filius DEI adsumit humanam naturam!* Sed, aut nimis subtilis est argumentatio, quam vt illam capere possimus; aut Sophistam agit GERHARDVS, statumque quaestionis omnino peruertit. Etenim 1) quid inuoluit absurditatis, quod Christus in sua humana natura dicatur *esse semen Abrahae, non Adami*? Posito vno, non excluditur alterum; non minus recte Christus huius, quam illius dicitur semen, & eo ipso, quo *semen Abrahae* vocatur, euincitur quoque *semen Adami* esse, quum Abrahamus descendat ab Adamo, vid. *Matth. I. 1. conf. Luc. I. 34. 38.* Quando autem Spiritui Sancto placet, Christum secundum humanam, quam ὁ λόγος adsumsit, naturam, vocare: *semen Abrahae* potius, quam *Adami*; nonne vero illud fit ob datam specialiter Abrahae promissionem, quod Christus nasci debeat ex eius prosapia: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terrae, Genes. XXII. 18.* Eadem specialis promissio, cum facta esset pariter *Dauidi*, causa est, quare Christus alibi in scriptura adpelletur: *semen, germen &c. Dauidis*; ideone desinit esse: *semen & Abrahae & Adami*? Summo sane iure Christus in sua humana natura potest vocari: *semen omnium Patrum Rom. IX. 5.* ab *Adamo* vsque ad *Abrahamum*, ab *Abrahamo* vsque ad *Dauidem*, à *Dauide* denique vsque ad benedictam mulierem, cuius speciali & immediata ratione pariter: *semen* adpellatur *Gen. III. 15.* 2) Qualis quaeso est argumentatio: *Si non Abraham, sed Adam est pater omnium terrae nationum totiusue humani generis; sequitur, quod Christus in sua humana natura nomen non possit trahere ab Abrahamo, eiusque semen dici!* 3) Quis vnquam dixit, aut dicere voluit, quod *Abraham* sit pater naturalis omnium gentium? Quis vnquam negauit, *Adamum* esse primum & communem omnium gentium stirpem? 4) Non satis capimus, quid sibi velit, illis verbis: Wenn also der heilige Geist in dem vorseyenden Spruch hätte wollen NB. alle Menschen, oder die menschliche Natur verstehen, so würde er gesagt haben: Christus nimmt den Saamen Adams an sich! Regerendum sane hic illi esset: Wie? ist denn Christi menschliche *indiuiduelle* Natur, die er in seine Persöhnlichkeit aufgenommen hat, mit allen menschlichen *Indiuiduis* einerley, und ist eine menschliche

Natur

Natur: alle Menschen? Bonus hic dormitat GERHARDVS; quod ex porro adiectis, quae pluribus apud illum legi possunt, adhuc magis elucescit. Nemo enim sanae mentis vnquam dixit, quod Filius DEI in suam personalitatem adsumserit *omnia indiuidua humana, aut naturam humanam vniuersalem*; qualis quae sit, ne concipitur quidem! Sed hoc dicimus: Filius DEI adsumsit in suae personae vnitatem, *indiuiduam illam*, veram tamen ex Maria progenitam *naturam humanam*, quae non minus, ac alia hominum indiuidua ortum ducit ab *Adamo*, *Abrahamo*, & omnibus patribus, in linea recta se excipientibus. Illa vero indiuidualis & excellens prae omnibus, natura Christi humana stilo sacrae Scripturae dicitur: *semen Abrahae*, ipseque totus Christus recte adpellatur: *semen Abrahae*, nimirum *in sensu composito*. Sane haec GERHARDI obiectio inter omnes minime fundata est, & illâ tantum vti videtur, vt fucum faciat imperito lectori, omniumque nostratium Theologorum explicationem suspectam, ipsos vero exosos reddat; quasi vix sensum communem habeant, quem ad Scripturae interpretationem adportent.

(g) *System. Apoc. Cap. III. p.* 317. §. 384. (Chartae parcimus & verba eius huc non transscribimus; praesertim vero ait, *hoc esse contra sensum communem p.* 318.)

§. XI.

Tandem obiiciunt Neo-Euangelistae, datam nostram explicationem de *adsumptione seminis Abrahae*, quod per illam notetur *adsumtio humanae naturae in hypostasin Filii DEI*, non quadrare cum textus συναφείᾳ. Dicunt, adfingi Spiritui Sancto *tautologiam, quasi idem per idem dicat*! Es sey auf eine solche Arth eine gar unförmliche Rede! Cum enim *vers.* 14. iam expresse fuerit facta mentio incarnationis Christi, seu adsumptionis humanae naturae; non adparere, quare idem de nouo dicatur *versu* 16., praesertim, cum *vers.* 17. idem denuo repetatur. M. GERHARDVS (h) itaque, vt hoc eo clarius probet, ait: per sententiam nostram ita connecti *versus* 14 - - 17. Der Sohn GOttes hat die menschliche Natur an sich genommen, vers. 14. und uns dadurch von der Hölle erlöset vers. 15. denn er nimmt nicht die Englische, sondern die menschliche Natur an sich

verſ. 16 daher muſte er allerdings, in Annehmung der menſchlichen Natur, ſeinen Brüdern gleich werden verſ. 17. Nun wil ich, addit, alle Welt urtheilen laſſen, ob man wohl eine ſolche ungeſchickte, und unförmliche Rede geſehen oder gehöret habe, als dieſe, womit Orthodoxi - - GOttes Wort zu beſchmitzen ſuchen! Rectius putat, ſe habere horum commatum connexionem, ex mente Neo-Euangeliſtarum, ita: Der Sohn GOttes hat die menſchliche Natur an ſich genommen verſ. 14. und uns dadurch von der Hölle erlöſet, verſ. 15. derowegen nimmt er nicht die Engel, ſondern die Gläubigen, als den Saamen Abrahä zu ſeiner Braut an, verſ. 16. Um welcher Urſach willen muſte der Sohn GOttes freylich in Annehmung der menſchlichen Natur ſeinen Brüdern gleich werden, auf daß er barmhertzig würde! Pergit: das ſey klar und deutlich, dawider Orthodoxi nichts rechtſchaffenes aufbringen könten. Sed reſpondemus 1) Inique nobis tam â Neo-Euangeliſtis, quam â Socinianis aliisque (i) h. l. obiicitur, quod in noſtra expoſitione tautologiam Scripturae ſacrae adfingamus. Dari in ſ. Scriptura veras tautologias & nude otioſos pleonasmos, contra IO CLERICVM, MARC. MEIBOMIVM, RICHARD. SIMONEM, & plures, pie negamus. Tautologia enim eſt: *vitium orationis, cum idem ſine cauſa repetitur* (k) Pleonasmus autem verborum vel ſententiarum, qui *vſum* habet, *rem plenius exponendi & inculcandi, emphaſeos addendae, adfectum dicentis exprimendi, diſtributionem notandi, vel, qui tandem ex vſu eſt & genio linguae*, vitioſus & otioſus non debet putari. (l) Certe M. GERHARDVS idem toties repetit, vt iſtiusmodi vitium quam facillime ipſi obiici poſſet. At vero pleonasmum & tautologiam eſſe negat, quod frequentius quidem, at non ſine cauſa, ſed, vt eo magis intelligatur, lectoremque conuincat, repetere ſibi conueniens eſſe putauit (m). Ponamus itaque, eandem theſin, eandem veritatem aliquoties hoc capite & his comm. 14. 6 17. repeti, non tamen ſtatim ſequeretur, in eo vitium orationis committi, quod veri nominis *tautologia* vocatur. Quot non occurrunt Scripturae loca, in quibus facta aliquoties rei repetitio vtique negari nequit; at eo magis res exponitur, confirmatur, inculcatur &c. Quodſi etiam h. l. eadem prorſus veritas atque theſis aliquoties repetita eſſet; aliis tamen

dictio-

dictionibus & phrasibus, quarum vnaquaeque egregium ipsi thesi lumen addit, efferri manifestum esset. Quis enim quaeso adfirmabit: μετέχειν σαρκὸς καὶ αἵματος, ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος Ἀβραάμ, ὁμοιωθῆναι τοῖς ἀδελφοῖς, esse prorsus ἰσοδυναμοῦντα, si vel maxime triplici hac phrasi *incarnatio Christi* vltimato doceretur? Quando etiam M. GERHARDVS putat, quod versu 17. idem dicatur, quod iam dictum erat versu 14., nimirum: *Filium DEI esse incarnatum*; quomodo ipse Scripturam h. l. absoluet â reformidato tautologiae vitio? Si vero tautologia non est quando versu 14. & vers. 17. idem bis dicitur, vt ille putat; tautologia etiam nulla enascetur ê nostra expositione, si vel maxime largiamur, quod versu 14. & 16. idem bis dicatur. 2) Quod his versibus 14. 16. 17. nequaquam vna eademque thesis contineatur, sed diuersae sint propositiones, optime vero inuicem connexae, probatu est facillimum. Nimirum versu 14 vtique dicitur: *quod Filius DEI veram humanam naturam adsumserit &c.* Eodem & seq. 15 versu agitur *de fine*, quare ὁ λόγος homo factus sit, ille finis est: *vt pati ac mori posset, vt per illam suam mortem destrueret potestatem diaboli, vtque nos homines diabolo & morti obnoxios, redimeret ac liberaret.* Iam vero, vt idem eo melius declaretur, *rationem* addit Spiritus Sanctus, *quare nobis Saluator ac redemptor, diabolo autem hostis*, & eius regni destructor Christus credi debeat. Nimirum hoc agit versu 16. ex illa ratione, *quia nunquam & nusquam adsumere voluit angelicam, sed humanam naturam*, ab Abrahamo descendentem, secundum diu antea factam promissionem. Quod, vt in solatium omnium perterritarum conscientiarum confirmetur, adiicitur altera ratio versu 17., *quia adeo exacte nobis similis fieri voluit Christus in omnibus, quae etiam ad substantialia nostrae naturae non pertinent, & experiri ipse tentationes*; (n) *vt nulli dubitaremus de eius commiseratione cum nostris adflictionibus, de eius fidelitate, de eius clementissimo auxilio &c.* Qua veri specie quis obiicere potest, hic idem per idem dici? Neutiquam enim propositio versus 14. probanda erat propositione versus 6. Hoc vtique idem foret nondum tamen nuda & otiosa tautologia! Sed propositio versus 16. *Non enim angelos adsumit, sed semen Abrahae adsumit!* probat illam pro-

Landesbibliothek Oldenburg

positionem proxime antecedentem versus 15. quae haec est: *Christus ademit diabolo potestatem, redemit autem genus humanum potestati diaboli obnoxium!* Ergo qui non vult data opera coecutire, facile cognoscit, secundum nostram explicationem hos versus bene cohaerere, & scripturae nullam imputari tautologiam, aut ineptum nexum propositionum, keine unförmliche Rede. Facile potius esset, illud retorquere ac ostendere, quod sua expositione Neo-Euangelistae omne illud agant, quod nobis falso imputant. Tacemus, quod *partim* textui temere inseratur: de adsumtione fidelium in sponsam & consortes regiminis Christi opinio, cuius adsertio cum contextu h. l. neutiquam stare potest, vt supra ostendimus; *partim* vero, quod M. GERHARDVS nullo fundamento probare possit, quod particula γὰρ vers. 16. non sit particula *causalis*, quam LVTHERVS beneuertit: Denn er nimmt nicht ꝛc. sed *consecutiua*; derowegen nimmt er nicht ꝛc. Itaque non adsequimur, quomodo omnia illa vers. 14. 15. 16. 17. adcuratius & clarius ad contextum & mentem Spiritus Sancti possint verti aut intelligi, quam vertit & intellexit b LVTHERVS in versione germanica. Satis hoc esto de Thesi I. quae basis est reliquarum, & qua stante inconcussa, faciliore & breuiore opera in sequentibus nos expediemus.

(h) *System. Apocalypt. p.* 315. 316. Illam nimirum tradit horum versuum 14. 15. 16. analysin: *Thesis est vers.* 14. *quod Christus adsumserit humanam naturam*; in reliquis versibus continentur *effectus incarnationis Christi*: 1) *Ablatio potestatis Satanae, versu* 14. 2) *Redemtio hominum â potestate Satanae, versu* 15. 3) *Adsumtio fidelium, prae Angelis bonis in sponsam, vers.* 16. *PETERSENIVS l.c.* Im Gespräch *P. III. p.* 136. §. 8. *epiphonematis loco poni*, ait, *versum* 16., *totum autem Caput II. quin integram Epistolam ad Hebr. pro scopo quasi habere hanc fidelibus prae Angelis paratam gloriam.* Sed dubitamus, an quis maiori fuco sua ingenii figmenta ornare vnquam potuerit, quam hic vir, suae soli meditationi omnia omnino tribuens, quasi in quascunque, inciderit cogitationes, errare plane non potuerit. M. GERHARDVS autem, vnde probabit, versum 16. continere *effectum incarnationis*, petitne potius principium? Vnde probabit, *de glorificatione fidelium prae angelis bonis* textum esse intelligendum?

(i) *Vid.* SCHLICHTINGIVM *l.c.* qui quoque, *idem per idem probari*, obiicit. Conf. CAMERONEM ad h. l. VITTICHIVM l. c.

LIMBOR-

LIMBORCHIVM l. c. Omnes hi supponunt, quod versus 16. rationem & probationem contineat theseos vers. 14 expressae, vbi legitur, *quod Christus similiter ac pueri carnis & sanguinis particeps factus sit.*

(k) Vtimur verbis IO. MICRAELII *Lexic. Philosoph.* sub voce: *Tautotes.* D. IO. IAC. RAMBACHIVS tautologiam sic describit: *Est vitium sermonis, quo plures voces, dictionesque synonymicae praeter necessitatem de re eadem crebius adhibentur, quae tamen neque ad explicationem, neque ad emphasin, neque ad exprimendos adfectus, neque ad sanctae Linguae genium maiestatemque requirebantur. Institut. Hermeneut sacr. L. II. C. VII. p. 297.*

(l) Comp. SAL. GLASSIVM *in Philol. Sacr. Lib. IV. Tr. II. p. 123. seqq.* & D. IVST. WESSEL. RVMPAEVM *Comment. Crit. ad Libros N. T. in genere p. 76. seq.* Pluribus autem vid. D. HENR. KLAVSINGII *specimen vindiciarum sacr. Codicis â ταυτολογίας criminatione.* Vener. Theologi nostratis D. HERM. CHRISTOPH. ENGELCKENII *Scrutinium Theologicum, modum loquendi Scripturae indagans, & nullum in sacris literis pleonasmum dari, ostendens.*

(m) *System. Apocatast. Cap. III. p. 273. Cap. IV. p. 437.*

(n) *Conf. Sect. II. Thes. I. §. 7.*

THESIS II.

Aeternus Filius DEI non adsumsit angelum quendam, vel angelicam naturam in vnionem hypostaticam; seu, illam non adsciuit, nec vniuit sibi personaliter.

§. I.

HAnc veritatem tradit Spiritus Sanctus hoc loco *Hebr. II. 16.* sequentibus verbis: Οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται. Recte b. LVTHERVS vertit: Denn er nimmt nirgend die Engel an sich! Sensus est: *Filius DEI nunquam, aut nusquam adsumsit, vel adsumit quendam angelorum, vel angelicam naturam in vnionem hypostaticam.* (o) *Socinitani* ita interpretantur: *Christus nunquam opitulatur angelis, siue, illos non adsumsit vt opem iis ferat non voluit vindicare & adserere tanquam suos, it. non adsumsit in suam protectionem,*

Landesbibliothek Oldenburg

onem. (p) Per *angelos* autem non intelligunt *sanctos*, sed *malos, lapsos, & damnatos* spiritus angelicos, illisque omnem salutis spem omneque â Christo expectandum auxilium recte prorsus negant. *Neo-Euangelistae* ita exponunt: *Christus nunquam adsumit bonos & sanctos angelos in sponsam suam & regni consortes*, **macht sie nicht zu Königen und Priestern in seinem Reich, hat ihnen nicht die zukünfftige Welt unterthan, nimmt sie nicht an- und in-sich hinein, zu so grosser Herrlichkeit, als die geistlichen** Abrahamiten. (q) Hac nimirum sua interpretatione id agunt, vt damnatis angelis spem relinquant exspectandae aliquando ex inferno suae per Christum efficiendae restitutionis; statuentes: Christum adeo vniuersalem redemptorem & mediatorem esse, vt eius ad diabolos quoque meritum extendatur, ceu supra ostensum est. Differt autem G. P. SIEGVOLCKIVS (r) à PETERSENIO & GERHARDO, quod, cum hi dicant: Christum non adsumsisse *angelos bonos* in sponsam suam, illisque mundum futurum non subdidisse; ille contra istud intelligat *de angelis malis*: **GOtt habe nicht** NB **den bösen Engeln die zukünfftige Welt unterhan, noch sie zu Erben und Mit-Regierern gemachet. Es hiesse dieses Nicht-Annehmen der Engel, so viel, als: die bösen Engel von der Brüderschafft Christi, und von der Mitt-Regierung der zukünfftigen Welt ausschliessen.** Hanc opinionis diuersitatem forte non adtendit PETERSENIVS, secus non scripsisset, (s) *se in interpretatione dicti Ebr. II. 16. cum* SIEGVOLCKIO *per omnia consentire.*

(o) Quod b. LVTHERVS hunc sensum pro vero agnouerit, è scriptis eius passim colligitur. Vnicum duntaxat locum adlegabimus, scil. in *Expositione Cap. XII. Exodi*, vbi ait: **Daß Christus sey des Fleisches und Bluts des wir sind. Welches**, pergit, **über die Maassen sehr rühmet die Epistel an die Hebräer: daß GOtt nicht die Englische Natur, sondern unser Fleisch und Blut erwischt habe; daß ist: GOtt ist nicht ein Engel, sondern ein Mensch worden** ꝛc. *Tom. III. Altenb. p.* 594. Vix vnus & alter est inter Theologos nostrae Ecclesiae, qui ab hac interpretatione in tantum alienus sit. *Romanensium* quoque & *Caluinianorum* plerique consentiunt, vt, si opus esset, facile omnino esset, nubem testium producere.

(p) *Catech. Racou.* **vom Wesen des HErrn Christi** *Cap. I. p.* 115. **Das will der Autor sagen: daß Christus nicht ein Seligmacher der Engel sey!**

Quod

Quod, quamuis optime inde concludatur, nondum tamen ipsum propositionis immediatum sensum sistit. SCHLICHTINGIVS *l. c. p.* 133. *Si haec verba*, scribit, *de iuuandis non angelis, sed hominibus, deque ope iis ferenda intelligamus, pulcherrime omnia cohaerent, nempe Christum idcirco hominem mortalem fuisse, non angelum aliquem, quod non angelis, sed hominibus iuuandis seruandisque fuerit destinatus.* Consentiunt non solum reliqui, sed & iis adsentiuntur: GROTIVS, qui ad h. l. ita commentatur: *Nusquam in libertatem vindicat angelos, seu vindicans introducitur!* CAMERON, qui dicit, *hunc esse mentem Apostoli, quod Christus non venerit redemturus angelos, sed homines.* Vid. ABR. CALOVII *Bibl. Illustr. ad h. l* & *Magnum Opus Critic. sacr. Vol. V. ad h. l.* LIMBORCHIVS *l. c.* ita exponit: *Sensus est, quod in nullo Scripturae loco dicitur, quod adprehendit angelos, i. e. quod angelis opem ferat, aut eos in libertatem vindicet. Contrarium passim de angelis legimus, quod cum peccassent, iis non pepercit &c.* 2 *Pet. II.* 4. Ad eundem modum sentiunt CLERICVS & HAMMONDVS, *in Notis ad N. T. h. l.* REIZII quoque versionem cum his omnibus facere, supra ostensum est.

(q) Hanc PETERSENII & GERHARDI mentem omnino esse, ex supra adlegatis satis constat, & cum M. GERHARDVS in eo adserendo multus sit, Lectorem remittimus ad totam huius dicti *Ebr. II* 16. pertractationem in *System. Apocatast. C. III.* occurrentem, praesertim §. 366. 375. 393.

(r) *L. c. p.* 100.

(s) *Tom. I. Apocatast.* Anhang zum Gespräch *p.* 139.

§. II.

Quod ille, de quo angelorum adsumtio negatur, *Filius DEI* sit, ê textu satis adparet, (t) nec dubium vllum â Neo-Euangelistis in hoc passu mouetur. In eo autem propter hypothesin non possunt non â nobis differre, quod, cum nos recte statuamus, Filium DEI in hac propositione vt personam ἀσύνθετον, siue vt *concretum personae simplicis*, spectatum, subiectum esse; illi contra velint: spectari Christum vt personam τυνθετον, seu, subiectum propositionis esse *concretum personae compositae.* In quo tamen, quod fallant, patet è *versu* 14. In quantum enim Filius DEI dicitur: *participare de nostra carne nostroque sanguine* quae propositio est ex vnitione fluens; in tantum non potest spectari vt persona σύνθετος. In istiusmodi

usmodi nimirum propositionibus, cum praedicatum sit *actus vnitionis*, subiectum quoque aliud non potest esse, quam *persona τοῦ λόγου simplex*, vniens sibi naturam humanam, quae in se ἀνυπόστατος est (u). Quandoquidem etiam supra probatum dedimus, quod illa propositio versus 16: *Filius DEI semen Abrahae adsumsit*, agat de negotio incarnationis, & sit propositio ex vnitione fluens; sequitur vi immediatae disiunctionis, quae hoc versu 16. legitur, quod, quale est subiectum *adsumens semen Abrahae*, tale etiam sit subiectum *non adsumens angelos*. Atqui in illa propositione: *Filius DEI adsumsit semen Abrahae*, subiectum est *persona simplex*. Ergo & in hac: *Filius DEI non adsumsit angelos*, subiectum est *persona simplex* & extra vnionem spectata. Praeterea tamen verum quoque est, quod Christus *quà persona composita* non adsumserit aut adsumturus sit vnquam angelicam naturam in suam hypostasin; cum in Christo non sint tres, sed duae solum naturae. In *praedicato* igitur praecipuum est controuersiae momentum. Praedicatum autem negat: *quod Christus angelos adsumserit.*

(t) Leg. *Hebr. I.* 2. 5. 8. *seqq. II.* 39. 14. 17. *III.* 1. *seqq.*

(u) Comp. KOENIGII *Theol. positiu. p.* 127. §. 95. & quaecumque alia nostratium Theologorum Systemata.

§. III.

Obiectum, de quo negatur, quod Christus adsumserit vel adsumat, sunt *angeli*: οὐ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται. Non opus esse ducimus, vocem ἀγγέλων remotiue exponere, ostendendo, quod h. l. non habeatur respectus ad ecclesiae ministros, aut quoscunque alios, qui angelorum nomine in Scriptura aliquando veniunt. Nemo enim vnquam dubitauit, quin hic intelligantur *illi spiritus in integritate & sanctitate creati, qui intellectu & voluntate praediti, ad vnionem autem cum corpore, vt anima humana, non ordinati sunt*, & qui tam in hebr. quam graeca lingua nomen habent *ab officio*, quod est: *à DEO mitti, Deique esse internuncios*; Vnde vocantur: λειτουργικὰ πνεύματα *Ebr. I.* 14. Verum id in quaestione foret, num h. l. de *angelis bonis*, qui in concreata integritate & sanctitate perstiterunt,

num,

num vero de *malis angelis, qui habitaculum suum deseruerunt, & ob friuolam apostasian â DEO reiecti, tenebrarum catenis constricti, & ad infernalem ignem condemnati sunt*, quod Christus illos adsumserit, negetur? Ad quam quaestionem respondemus 1) in genere de omnibus angelis, de tota istarum creaturarum specie hanc ἐπίληψιν negari. 2) negari tanto magis de malis angelis, quum citra blasphoemiam ne cogitari quidem possit, quod Filius DEI sibi vnire queat malum Spiritum. Ceterum obseruandum est, quod *angelorum* vox hic *in sensu indefinito & distributiuo* occurrat: ἀγγέλων οὐκ ἐπιλαμβάνεται; quo ipso procul dubio non aliud indicare voluit Spiritus Sanctus, quam quod ex omnibus angelis bonis omnino nullum indiuiduum, nullamue, si id mauis, angelorum naturam adsumserit Filius DEI (x). Quidquid enim de omnibus negatur, illud negatur etiam de aliquo ex omnibus, & quidquid negatur de tota specie, negatur etiam de quodam eius speciei indiuiduo. Non vero opinamur, vocem: *seminis* hic esse subintelligendam, quasi dicere velit Spiritus Sanctus: οὐ δήπου ἀγγέλων σπέρματος ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραάμ &c. Vt ad intentionem scribentis sic debeat verti: *Non enim angelorum adsumit, sed Abrahae semen* (y). Angelis enim ceu spiritibus, semen tribui neutiquam potest, quum corpora non habeant (z) nec genus suum propagent, id quod hominibus concessum est.

(x) Non videtur aliquid obstare, quominus vox: γενὸς subaudiatur in huius textus lectione. ERASMVS ROTEROD. *in Notis ad h. l.* vitio vertit Interpreti CHRYSOSTOMI, quod ita legat: *Non enim quendam angelorum adprehendit;* adiicit: *nisi forte putauit, in genitiuo ἀγγέλων subaudiri γενὰ, verum is genitiuus est verbi.* Quamuis enim verbum regat genitiuum: ἀγγέλων; tamen is genitiuus non prohibet, quominus alius, qui ab hoc iterum regatur, subintelligi possit. Regit quoque idem verbum genitiuum σπέρματος, cui tamen iungitur alius, nempe: Ἀβραάμ. Ipse etiam ERASMVS, cum ita exponit: *non enim adsumit angelorum naturam*: subintellecto φύσεως vocabulo, idem certe agit.

(y) Nonnulli ita loquuntur, & ipse PETERSENIVS *Tom. I. Apocatast.*

tast. Im Gespräch *P. III. p.* 145. *Quaest.* 47. ait: Christus hat nicht wollen der Engel Saamen annehmen, sondern derer, die Satan verführet hat ꝛc.

(z) Non defuerunt è Patribus, tam graecis, quam latinis, qui angelis corpora tribuerunt, inter quos noti sunt: THEOGNOSTVS ALEXANDRINVS, ORIGENES, MACARIVS. GREGORIVS NAZIANZENVS, CAESARIVS, BERNHARDVS, aliique, delapsi ex parte ad illam opinionem, quod angeli cum mulieribus antediluuianis filios procreauerint; male intellecto *Gen. VI.* 3. Vid. IO. CASP. SVICERI *Thesaur. Eccles. p.* 37. *seqq.* Quid etiam de incubis malis daemonibus, filios è sagis procreantibus, non adeo remota credula aetas tradiderit, aeque notum est ac hodie explosum & ridiculum habetur. Iudaeorum de hac re fabulas atque deliramenta refert IO. ANDR. EISENMENGER im entdeckten Judenthum *P. I. & II.* passim.

§. IV.

Quaenam autem illa sit ἐπίληψις angelorum, quae â Christo facta esse negatur, de hoc nimirum inter nos & Neo-Euangelistas quaestio est. Illi dictionem οὐκ ἐπιλαμβάνεσθαι vertunt per: *non adsumere ad insignem gloriae & dignitatis gradum*, seu: *praeterire aliquem tali gloriae gradu.* Deserunt hic *Socinianorum* interpretationem, quae nudam *non-opitulationem* inuoluit: sich jemandes nicht annehmen! Vident enim, cum non indigeant boni angeli, vt Christus illis opem ferat, restare solos diabolos, qui opitulatione indigeant. Sic vero concedendum erat, hoc textu negari, quod Christus angelis malis opem vnquam tulerit, aut ferre velit. At quo pacto illud concedere poterant, cum tanto argumentorum adparatu redemptionem diaboli & restitutionem ex inferno per Christi meritum parandam, adsertum iuerint? Nec tamen iis placet nostra huius dictionis interpretatio, quae naturalis & omnium propriissima est, ceu supra ostendimus. Sic enim iterum concedendum erat, Christum diabolos non redemisse eorumque non esse mediatorem, quia ὁ λόγος non angelicam, sed humanam naturam in suae personae vnitatem adsumserit. Arte ergo & consilio opus erat, vt hoc dictum, hypothesi suae contrarium, in suam opinionem flecterent. Istud autem consilium in eo ponunt 1) vt vocem ἐπιλαμβάνεσθαι in vtroque

traque huius dicti propositione vnionem personalem exprimere negent. 2) vt deserta huius vocis natiua significatione, maxime generalem adripiant, eique addant modificationem prorsus singularem, sc. *adsumere vel non adsumere ad insignem prae altero gradum dignitatis & gloriae*; cum tamen illa modificatio nec sit per se in potestate vocis, nec in contextu fundata (a).

(a) Prouocant quidem D. PETERSENIVS & M. GERHARDVS ad comma 5. huius capitis, vbi legitur: *quod DEVS angelis non subiecerit futurum orbem, sed Christo.* Christum ibi & fideles *simul* intelligi volunt, ita, vt fideles in & cum Christo opponantur in tanta gloria angelis. Quis autem Neo-Euangelistis illud ius concedit, vt, cum textus de solo Christo loquatur, illi fideles Christo ad latus ponant. In sequentibus nimirum ad solum Christum illa praedicatio, sc. *quod futurus mundus ei subiectus sit*, expressissime refertur. Est enim *υἱὸς ἀνθρώπου*, *cuius adeo gratiose meminit DEVS* versu 6. est ille *quem DEVS coronauit δόξῃ καὶ τιμῇ* & *quem constituit ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν αὐτοῦ* versu 7. *subiiciens illi omnia sub pedes* versu 8. Est ille IESVS, qui *per passionem mortis, gloria & honore coronatus, mortem gustauit.* versu 9. Ergone de omnibus istis fideles participant, vt idem de illis quoque praedicetur? Manifestum est, de Christo, *stricte in sua sola persona spectato*, non vero de illo, *quantenus caput est mystici sui corporis*, sermonem esse. Petunt ergo principium, quando versu 16. *de praerogatiua fidelium prae angelis dici*, probare volunt è versu 5. Cum ibidem de eminentissima Christi prae angelis dignitate agatur, fidelium autem nec fiat, nec fieri possit vlla mentio. Ipse autem, quem sibi Neo-Euangelistae de gloria fidelium prae angelis formant, conceptus, sapit millenarismum, & visibilis alicuius piorum supra impios dominationis hypothesin, quam autem multis disquirere, huius nec loci est, nec instituti.

§. V.

Quod itaque h. l. negetur: Filium DEI adsumsisse in vnitatem suae personae angelorum quendam vel angelicam naturam, probamus 1) ex manifesta oppositione *humanae naturae*, quam Spiritus Sanctus *semen Abrahae* h. l. vocat, & *angelorum*: *illam* vnitionis hypostaticae obiectum esse adfirmat, de *his* negat sacer textus. 2) Ex oppositione contradictoria praedicati: *adsumere* & *non-adsumere.*

Landesbibliothek Oldenburg

mere. Qualis ſenſus eſt huius verbi: ἐπιλαμβάνεσθαι *in adfirmatione*, talis eſt in oppoſita *negatione*; atqui in adfirmatione ſenſum habet *adſumptionis in hypoſtaſin Filii DEI*, ergo in negatione eundem ſenſum habebit. Adeo vt adſumtionis in hypoſtaſin Filii DEI obiectum ſit *remotiue* angelus, aut angelica natura, *poſitiue*: ſingularis, illa humana natura, quae *Abrahae ſemen* eſt. Idem ſane, quod de altero obiecto adfirmatur, de altero aequaliter negatur. 3) Negari h. l. angelorum factam â λόγο ἐπίληψιν apertum eſt. Aut vero illa negatur de angelis bonis, aut de malis, aut de vtrisque. Cum vero ſimpliciter hic legatur: *quod Chriſtus non adſumſerit angelos*, illa *non-adſumtio* aut negat opitulationem & auxilium, aut negat vnitionem perſonalem in Chriſto. Si *opitulatio* negatur *angelis bonis*, **Chriſtus habe ſich ihrer nicht, ſondern vielmehr** (poſito) **der Gläubigen angenommen**, oppoſitio nulla eſt, & dictio ipſa ſenſu vero deſtituitur: Quum enim angeli boni in ſtatu integritatis perſeuerarint, ratio nulla eſt, vnde potuerit Chriſtus illis opem ferre, cum iſta illi nullatenus indigeant; ad quid ergo opponuntur lapſis & ſub poteſtate diaboli detentis miſeris hominibus? Si opitulatio denegatur *angelis malis*, habemus, quod volumus; cadit enim eo ipſo diabolorum Apocataſtaſis. Si autem *vniri vel vnitum eſſe Filio DEI perſonaliter* negatur *de angelis bonis*, *aut de angelis malis*, *aut de vtrisque ſimul*, (quod innuit vox indefinita: ἀγγέλων;) iterum habemus quod volumus. At, inquiunt Neo-Euangeliſtae, illius non-adſumtionis datur *tertius* adhuc ſignificatus, is nimirum, quo negatur *certus aliquis gloriae in altera vita gradus*, quem non obtinebunt angeli boni, ſed fideles ac electi homines! Verum, cum haec temere dicantur, nuſpiam probentur, refragante ipſo proprio vocis ſignificatu, ac deficiente in Textu & eius συναφεία (vt ſupra ſatis oſtenſum fuit) omni fundamento; illam explicationem tanquam cerebrinam & nullam, ſimpliciter reiicimus. 4) Quod etiam contextus noſtrae expoſitioni patrocinetur, patet ex illo, quod pariter ſupra deduximus *Theſ. I.* Si enim *verſu* 16. *ratio* ſuppeditatur, quare Chriſtus homines redemiſſe credendus ſit, ex tenore *verſus* 14. 15., illa autem ratio ſit: *adſumptio humanae naturae in vnitatem perſonae Filii DEI*,

(b) ſe-

(b) sequitur, quod eodem *versu* 16., vi oppositionis, *ratio* quoque suppeditetur, quare Christus diabolo potestatem ademisse (*vers.* 15.) credendus sit. Illa autem ratio est: *negata angelorum adsumtio!* Qualis vero conclusio est: *Si Christus bonos angelos non voluit esse aequales fidelibus in gradu gloriae per futura secula; sequitur, quod diabolo eripuerit potestatem!* Rectiusne ita conluditur: *Si Filius DEI in vnionem personalem angelos, angelicum indiuiduum, angelicam naturam non adsumsit; sequitur, quod nec diaboli sospitator, mediator & amicus esse queat, sed potius destructor, hostis & debellator eius existat.* Ergo sensus propositionis: *Filius DEI non adsumsit angelos*, alius esse nequit, quam ille, quem hac *Thes II.* tradimus! Tandem 5) particula negationis ἢ δήπου & particula γὰρ idem confirmant. *Prior* (c) enim simpliciter negat, quod Filius DEI angelos adsumserit; docet, id nunquam fieri nunquam factum esse, nuspiam in sacra Scriptura legi aut promitti; quum è contrario adsumptio seminis Abrahae & facta sit & dudum saepiusque in Scriptura promissa. Simplex itaque adsumtionis angelorum negatio, quo iure quaeso restringi potest ad negationem eminentioris gloriae gradus & illius honoris, quo angeli boni sint sponsa Christi? Quodsi etiam largiri possemus, quod adsumtio seminis Abrahae h. l. sit: *adsumtio fidelium in sponsam Christi & ad consortium regiminis eius*, quo ipso ad longe eminentiorem prae angelis honorem & gloriam euecti fuerint, item, quod *non adsumtio angelorum sit: non-euectio angelorum bonorum ad istam gloriam &c.* iusta tamen quaerenda esset *ratio*, quae fundamentum sit, quare non angelos, sed fideles homines in sponsam & ad dictam gloriam Christus adsumat? Nec enim illa praerogatiua in natura hominum, quos angeli sancti longe antecellunt, fundata esse potest, nec dici poterit, homines id prae angelis merito suo consequutos esse, nec simpliciter id nudo beneplacito diuino tribuendum erit. *Sponsam enim Christi esse*, procul dubio inuoluit relationem ad Christum specialem, & praesupponit antecedentem actum gratiae, qui desponsationis fundamentum, & vnde Christus noster sit. Nullum autem restat fundamentum, quare homines fideles sponsa & peculium Christi, tantique honoris participes esse possint, quam *identitas*

naturae

naturae specifica, quae ipsis cum Christo intercedit *Ebr. II.* 14 Comparetur dictum, quod ex instituto de hac re agit, & totam rem conficit, *Eph. V.* 29. 30. 31. 32. vbi *Paulus* docet, *homines fideles esse de carne & ossibus Christi.* Ex hoc fundamento nobis se desponsauit Christus per sanguinem & mortem, nosque sibi vindicauit per tam pretiosam ἀπολύτρωσιν, *Eph. V.* 25. 26. 27. *Hos. II.* 19. 20. (d) Ergo etiam eius, *quod angeli non sint sponsa Christi*, illoque qui inde sequitur, honore, non mactentur, alia ratio esse nequit, quam ista: *quia illorum naturam Filius DEI in vnitatem suae personae non adsumsit*; nam si adsumsisset, quidni etiam angeli eundem haberent cum hominibus honorem? Ecce vero id est, quod volumus, & quod hic textus *Ebr. II.* 16. apertissime docet. Quocunque ergo Neo-Euangelistae se vertant, fatendum certe ipsis erit, nostram thesin in terminis h. l. intendi ac doceri â Spiritu Sancto. Et si vel maxime minor gradus gloriae angelorum bonorum prae fidelibus hominibus h. l. explicite doceretur, implicite tamen & simul doceretur, quod Filius DEI non angelicam sed humanam naturam in suam hypostasin adsumserit, quod homines redemerit, & è miseria sua liberauerit, non vero angelos, eadem miseria laborantes Particula γὰρ, quam sine omni causa M. GERHARDVS vult esse *consecutiuam*: Derowegen! est hic strictissime *causalis*, & connectit adsumtionem seminis Abrahae, & non-adsumtionem angelorum, ceu aetiologiam & fundamentum, cum illa thesi propositionis immediate praecedentis, quae Christum sospitatorem & redemtorem humani generis, diaboli autem debellatorem, & potestatis eius destructorem manifesto constituit Sane quid Spiritus Sanctus contra Apocatastasin lapsorum angelorum exsertius dicere potuisset, non adsequendum est!

(b) Bene illud obseruat & edisserit BENEDICTVS ARETIVS *Comment. in Epist. ad Hebraeos*, edit *Morgiis* 1581. vbi ad h. l. ita commentatur: *Ratio est, cur Christus humanum genus liberare ex tyrannide Satanae voluerit; sumitur argumentum â certo signo. Quorum naturae consortium adsumsit, hi liberandi erant per Christum, sed humanae naturae. - - - Igitur homines liberare â seruitute diaboli voluit.* Et paullo post: *Angeli naturam â Filio DEI adsumendam, videri*

deri poterat probabile, quod post DEVM praestantissima illa sit natura, & viribus mirabiliter polleus. - - - Sed respondet Apostolus ἁπλῆ, ἀρνήσει, non debuisse hanc adsumi â mediatore Christo. Rationes sunt, quod hominis hic agatur causa, nihil igitur hoc ad angelos. Deinde angeli nullam habent promissionem de liberatione, homo vero post lapsum illam statim consecutus est, futurum, vt semen mulieris serpentis conculcaret caput. Quare nihil ad causam liberationis praesentis faciebat, angeli induere naturam. Et praeterea mediatoris hoc erat munus, vt vtramque partem tueretur dissidentium: DEI tueri poterat partes, quia Filius DEI ab aeterno: hominis vero partes quomodo tueri poterat sub angelica natura? - - - Noluit igitur angelicam adsumere naturam, sed hominis, vt in persona redemtoris haberemus fratrem, cui negotium nostrum cordi esset &c.

(c) ἀ δήπου vi compositionis latine redditur: *non sane vllibi*, aut: *nimirum non vnquam*. Δήπου in adfirmando per: *vtique, nimirum, opinor*, exponendum esse, adlegatis aliquot graecorum scriptorum locis, docet MATTH. DEVARIVS *Lib. de graecae linguae particulis, edit. Noriberg.* 1700. *voce* δήπου. Ergo in negando exponetur per: *non vtique, non videlicet, non opinor* &c. Conf. *eundem p.* 282. Plerique literatissimi Interpretes h. l. vertunt per: *nusquam enim*; Sic VATABLVS, CLARIVS, ZEGERVR, LVTHERVS: Er nimmt nirgend ꝛc. ERASMVS cum nonnullis: *Nunquam enim*: Alii: *nunquam sane, nunquam videlicet!* Vid. *Magn. Opus Crit. Sacr. Vol. V. ad h. l.*

(d) Solatii & honoris, â parte nostri, plena sunt nomina, quibus Saluator noster passim in Scriptura adpellatur *sponsus suae ecclesiae*, ecclesia autem & in illa fideles: *Sponsa Christi*, Christus *Caput*, nos vero *membra*. At quis non videt, illa nomina esse mysticae significationis, & denotare ingentem atque fidelem Christi erga nos amorem, & suauissimam illam communionem, quae nobis cum Christo intercedit. *Desponsatio* illa *generalis* facta est in morte ac redemtione Christi, quum ille sanguinem pro nobis funderet, lytrum illud carissimum, quo sponsam sibi adquisiuit, & pignus amoris fidelissimi *Eph. V* 25. *Act. XX.* 28. *Desponsatio specialis*, seu eius indiuidualis *adplicatio* fit per fidem & vnionem mysticam. *Hos. II.* 19. 20. Desponsationis *essentialia* sunt: promissio & donatio gratiae *Es. LXIV.* 10. quin ipsius & totius Christi cum omni eius merito 1. *Cor. I.* 30. illius etiam gratiosissima inhabitatio *Gal. II.* 20. Desponsationis *suauitas* & arctissima fi-

Landesbibliothek Oldenburg

delium cum Christo *communio* indicatur per simile *coniugatorum ad vnam carnem Eph. V* 29. 30. 31. 32. Desponsationis *plena manifestatio, & felicitatis* inde oriundae *plena fruitio* erit in altera vita *Ps XLV.* 15. 16. *Matth. XXV.* 10. *Apoc. XIX.* 7. Totius autem desponsationis *fundamentum* nullum aliud est, quam incarnatio Christi, & participatio nostrae naturae. Dies enim exhibitionis Messiae in carne, dicitur *dies nuptiarum eius*, ad quas DEVS Pater per verbi praeconium multos voluit esse inuitatos *Matth. XXII.* 1 *seqq.* Ex illa causa est, quod coniugium maris & foeminae, quod fit ad vnam carnem ex vna carne *Genes. II* 21. - 24. typus adlegetur coniunctionis & amoris inter Christum & redemtos eius fideles *Eph. V* 31. 32. Eadem vero eiusdem naturae participatio fundamentum quoque est, quare nos dicamur cum Christo *vnum corpus mysticum*, cuius duntaxat *membra* sint fideles homines, *caput* autem Christus, *Eph. V.* 23. *Coloss. I.* 18. *& alibi.* Cum ergo desponsatio Christi cum fidelibus hominibus, & relatio, qua ille caput est, hi membra sunt, qua hi cum ipso vnum corpus mysticum constituunt, adeo directum habeat respectum ad gratiam adsumtionis nostrae naturae, ad redemptionem & adgratiationem nostram, ad satisfactionem pro nobis, ad iustificationem, qua Christus nostro loco stat, nos eius loco stamus; haut mirum est, quod angeli non sint sponsa Christi, nec eius membra, nec fratres dicantur. Non enim eandem, quam illi habent, adsumsit naturam. Opus autem non fuit, vt in gratiam bonorum angelorum naturam angelicam adsumeret, quia angeli illo mediatore ac redemptore haut indigebant. Si vero adsumsisset, fecisset in gratiam lapsorum angelorum; hos autem quod non redemerit, adparet inde, quia simpliciter negatur, *angelos adsumsisse.* Quodsi ergo Christus angelicae naturae, vt putant Neo-Euangelistae, particeps factus esset, nullo sane ratio obstaret, quo minus angeli quoque, mali cumprimis, vnà cum hominibus redempti, dici possent: *Sponsa Christi, & membra Christi.* Nec tamen illud nomen illaque relatio inuolueret eundem gloriae gradum in altera vita, sicut manifestum est fidelium quoque hominum non fore ex hoc capite aequalem gloriam. *Conf.* 1. *Cor. XV.* 40 *seqq. Dan. XII.* 3.

§. VI.

Respondendum autem paucis erit ad potiores Neo-Euangelistarum exceptiones, quas contra hanc quoque thesin, & expositionem propositionis: ὁ δήπου γὰρ ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, formant. Primo vrgent vocabulum ἀγγέλων in *plurali & in concreto* occurrens,

rens. Dicunt: nostram expositionem non intendi à Spiritu Sancto, quum in textu *concretum* legatur, *angelicarum nimirum personarum*, & negetur, quod illas Christus adsumserit. Obiurgant nos, quod substituamus *abstractum* scil. *angelicam naturam* (e). Si autem, inquiunt, hoc voluisset exprimere Spiritus Sanctus, quod Filius DEI angelicam naturam in suae personae vnitatem non adsumserit, sine dubio dixisset ita: φύσεως ἀγγέλων. Quando tandem liberales esse, ac, concretum forte poni pro abstracto, largiri volunt, obtendunt tamen, dici debuisse: ἀγγέλȣ non ἀγγέλων; *cum impossibile sit, vt Christus omnes angelos in suam hypostasin adsumere potuerit.* (f) Verum, quanti ponderis haec dubia sint, ex iis, quae iam paullo ante obseruauimus, facile adparet. Enimuero 1) Non dicimus, *abstractum* h. l *formaliter intelligi debere per vocem concreti*: ἀγγέλων. Maneat potius concretum formaliter. Negatur enim, Filium DEI vllum angelum adsumsisse. Quamuis non adeo absone agere videantur, qui concretum pro abstracto positum esse putant. Extant enim exempla istiusmodi dictionum in sacra Scriptura (g). Nec ad *enallagen numeri*, nec ad *synecdochen*, quamuis illae figurae inusitatae non sint Spiritui Sancto, nos recipimus. Illud tamen concedi debere putamus, quod si praedicatio h. l. vera sit de *concreto*, vera etiam sit & vtique subintelligenda de *abstracto*: Nimirum, si Filius DEI in hypostasin suam non adsumsit *angelum*, *naturam quoque angeli* non adsumsit. Angelum enim quomodo separabis a sua natura, per quam angelus est? Quod igitur abstractum, intellectum per vocem concreti, adeo male habet Neo Euangelistas, & quod tanta adcusatione onerant Orthodoxos, parum sane refert. Si enim vox ἐπιλαμβάνεσθαι illum sensum habet, quem in sua proprietate non potest non habere, & si euictum est, sermonem h. l. esse *de adsumtione hypostatica*, cuius obiectum sit *semen Abrahae*, non vero *angeli*; Nobis certe perinde esse potest, an angelorum hic in abstracto, an vero in concreto mentio fiat, hoc est: vtrum negetur: quod Filius DEI *aliquem ê numero angelorum* hypostatice adsumserit, an vero negetur: *quod naturam angelicam* hypostatice adsumserit. 2) Potuisset Spiritus Sanctus dicere: *Non adsumsit naturam*

angelicam; per se autem cum id satis intelligatur, quando adsumtio negatur de concreto, concreto vti maluit. Hypostasis autem angeli, in hypostasin Filii DEI adsumti, necessario absorpta fuisset, ne duo essent Christi; absorpta autem personalitate angeli, quid restitisset adsumtum, nisi *sola natura angelica*? 3) Emphatice autem in textu adhibetur vox ista: ἀγγέλων *in plurali*, non ἀγγέλȣ. Quamuis enim, si angelus fieri voluisset ὁ λόγος, vti homo factus est, vnicum tantum angelum in suam hypostasin adsumsisset, tamen voce hac plurali *eo fortius negatur*, quod negatur. Excluduntur enim omnia indiuidua, omnes ordines (h) angelorum, quam excellentes quoque & illustres sapientia, robore, gloria, esse queant. Iis omnibus miseram nostram carnem praeferre, & naturam specie nobiscum eamdem induere voluit; vt simul, cuius redemptor, & in cuius solamen exhibitus sit, adpareat. In *sensu* nimirum *indefinito* & *distributiuo* pluralem numerum pro *definito singulari* hic apprime collocari, (i) antea iam obseruatum est. Quidni & eleganter & vere ita germanice diceretur: **Er nimmt keine Engel an sich! Nirgend nimmt er Engel an sich, sondern den Saamen Abrahä** ꝛc. Ceterum, quid velit M. GERHARDVS, quando vrget: **Die gantze Englische Natur** ꝛc. non capimus. Quae enim angeli vnius est natura, illa etiam est reliquorum; *Naturae autem generalis*, seu *speciei* conceptus, est merum ens rationis.

(e) Vid. PETERSENIVS *Tom. I. Apocatast.* im Gespräch *P. III. p.* 133. Vbi inter alia ita scribit: Es siehet auch das einfältigste Kind gar leichtlich, daß der Apostel durch das Wort: **Engel** nicht verstehe: **Die Englische Natur** in *abstracto*, oder an, und vor sich selbst, ausser der persöhnlichen subsistentz, sondern **die Persöhnen** der durch Christum erschaffenen Engel *in concreto*. Denn das ist ja die rechte natürliche Bedeutung des Worts: ἀγγέλων. Plura huc transscribere, spatium non permittit. M. GERHARDVS more suo fusius idem persequitur. Vid. *System. Apocatast. C. III.* praesertim §. 365. 367. *seqq.* Orthodoxi inquit, müssen beweisen, daß das Wort: **Engel**, welches ja ein *Concretum* ist, allhie gesetzt worden für das *Abstractum*, und zwar, welches wohl zu mercken, **für die gantze Englische Natur**. Conqueritur: *Orthodoxi* wollen mit Gewalt allhie das *Concretum* zum

Abstracto

Landesbibliothek Oldenburg

Abstracto machen, und verstehen unter dem Wort: Engel, die gantze Englische Natur, gehen also von dem Wort-Verstande ab rc. rc. Orthodoxi suchen in dem Wort: ἀγγέλων nicht allein eine ungewöhnliche *Enallagen*, nemlich *multorum concretorum pro vno abstracto*, sondern sie sind auch gezwungen, wo sie anders ihre Erklährung wollen mainteniren, eine *Synecdochen* zu Hülffe zu ruffen. Denn so deducirt es der gelehrte GLASSIVS *in Gramm. Sacr. ad dictum Ebr. II* 16.

(f) M. GERHARDVS *l. c. pag.* 309. § 371. Es würde ja wohl der Sohn GOttes ohnzweiffel nur einen Engel, oder ein Englisches Wesen in seine Göttliche Persöhnlichkeit auf- und angenommen haben, und nicht viele, oder alle Engel. * * * Wenn also des Heil. Geistes Intention gewesen wäre, durch Paulum die Engel-Werdung von Christo zu leugnen, so würde er ohnstreitig nicht in der mehrern, sondern in der einzeln Zahl geredet, und also nicht ἀγγέλων sondern ἀγγέλου gesprochen haben.

(g) Quorum nonnulla collegit SAL. GLASSIVS in *Philol. Sacr. Lib. III Tract. I p. m.* 533. *seqq. edit. Lips.* 1705. IO. IAC. RAMBACHIVS *Institut. Hermeneut. Sacr. Lib. I. Cap. II.* §. 5. *p.* 49.

(h) *Ephes. III.* 10. *Coloss. I.* 16.

(i) Suo iam tempore SEBAST. SCHMIDIVS, ante motam controuersiam *Apocatast.* idem obseruat, *Comment. in Epist. ad Hebr. ad h. l.*

§. VII.

Secundo autem eo vsque progrediuntur Neo-Euangelistae, vt, quamuis concedere debeant, quod Filius DEI nullum indiuiduum angelicum in suae personae vnitatem adsumserit, tamen illum *angelicae naturae participem factum esse*, illamque, quod in Ecclesia inauditum est, *in & cum ipsa anima humana inclusiue & comprehensiue* (ceu loqui amant) *adsumsisse*, contendant (k). Quemadmodum ergo ad ornandam ἀποκατάστασιν πάντων, quatenus hanc ad omnes omnino creaturas extendunt, illam adferunt opinionem: quod Filius DEI ideo humanam naturam adsumserit, *quia homo sit microcosmus, & in sua essentia habeat aliquid de omnium creatarum rerum essentia, ideoque ad indicandam hanc essentiae humanae perfectionem, sexto demum die, post reliquas omnes creaturas, peculiari consilio DEI*

productus, totiusque creationis centrum, finis, ac terminus constitutus sit; (l) Ita Apocatastasin diabolorum etiam in hoc fundant: *quod anima humana sit angelicae naturae: vnde cum Filius DEI animam humanam adsumserit, naturam simul adsumserit angelicam.* Ista ratione meritum & redemptionem Christi pariter quoque *ad angelos lapsos* deriuant. Sed respondemus, gratulandum fuisse PETERSENIO, harum argutiarum inuentori, de fertili ingenio, quo tam egregia specie summa imis, & quadrata rotundis miscere, suaque commenta pro veritatibus vendere potuit; nisi de illo ingenii in detrimentum diuinae veritatis commisso abusu, ratio aliquando rigorosissime exigetur die vniuersalis iudicii. Quid tandem fiet de sanctissimo merito Christi, de toto redemtionis & satisfactionis negocio, de eius imputatione, de fide & iustificatione? & quis demum horum omnium erit conceptus? Quae consequentia est: *Si in humana natura, velut in centro omnes creaturae tam materiales & elementares, quam immateriales & spirituales concurrunt; sequitur, quod Christus, quando ob negocium redemtionis adsumsit humanam naturam, non solum homines, sed etiam omnes creaturas, siue materiales, siue spirituales sint, redemerit.* Negamus *maiorem* propositionem! Obstat enim, quod de obiecto redemtionis non è coniectura nostra, sed è scripturae litera sit sentiendum. Tacemus, quod hoc vniuersum, & in illo vita aut ratione carentes creaturae, capacia esse nequeant redemtionis. Obstat modus redemtionis & satisfactionis in Scriptura reuelatus; Obstat finis redemtionis in Scriptura determinatus! Vnde quaeso probabitur, quod Christus intenderit redimere omnes creaturas? Vnde constat, Christum ideo adsumsisse humanam naturam, quia homo isto sensu microcosmus est, & centrum omnium rerum creatarum? Vnde probabitur, hanc fuisse causam, quare vltimus in ordine, & sexto die creatus fuerit homo? Coniecturae sunt valde fallaces, quae eadem facilitate, qua adseruntur, etiam reiiciuntur. Negamus etiam *minorem* propositionem: quod omnes creaturae materiales & spirituales in homine velut in centro concurrant. Quamuis enim tam materialitatis, quam immaterialitatis conceptus detur in vtraque hominis parte essentiali generalis

& communis; tamen non singulae, tam materialium quam spiritualium creaturarum, essentiae specificae sunt in homine. Nisi dicas, vnicam duntaxat esse creaturarum, materialium & spiritualium essentiam, & essentias rerum non differre. Accedit, quod, si modo dicta conclusio procederet, de canibus & felibus, de arboribus & fruticibus, quin de metallis & lapidibus, ac inanimatis omnibus dici posset, quod Christi meritum ad illa omnia pertineat; quod quidem absurde â M. STOCKMANNO sibi obiici conqueritur, ad reuera concedit, nec negare substinet M. GERHARDVS (m).

(k) Lege PETERSENIVM *l. c. Tom. II. in Respons. contra* WINCKLERVM *p.* 45. *&* 46. it. M. GERHARDVM *l. c. p.* 333. 334. *seqq. it. p.* 337. §. 415.

(l) PETERSENIVS *l. c. Tom. II. contra* WINCKLERVM *p.* 45. b. ie. *Tom III. passim.* Adstipulatur illi GERHARDVS *l. c. p.* 337. Wie denn ohnedem, scribit, der Mensch . . . die kleine Welt ist, welche das Wesen aller andern Geschöpffe centraliter in sich begreiffet. *Ibid.* § 417. Sehet, nun können wir erst recht den sehr weiten Umgriff der Schrifft verstehen, wenn es heist: Also hat GOtt die Welt geliebt, *Io. III.* 16. und wiederumb, daß Christus die Versühnung sey für der gantzen Welt Sünde, 1. *Io. II* 2. Nemlich das Wort: Welt, begreifft in diesen Sprüchen in sich alles was Creatur ist und heist. . . Alles dieses soll wieder versöhnet, und unter das Haupt des grossen Wiederbringers, ein jegliches nach seiner Natur und Ordnung, wiedergebracht werden.

(m) Im kurtzen Begriff des ewigen Evangel. von der Wiederbr. aller Dinge *p.* 181. *seqq.* ad obiectionem M. STOCKMANNI, quod meritum Christi & apocatastasis hac ratione adeo ad canes & feles extendi posset, respondet: Das hat bey mir und keinem rechtschaffenen Lutheraner die geringste Schwürigkeit. Denn freylich sind auch Ochsen und Esel, verstehe nach ihrer Arth, unter das Haupt Christum wieder verfasset worden. In reprobationem huc satis inique torquet vaticinium *Psalm. VIII.* 7-9. quod de statu exaltationis Christi, & regno potentiae eius agit, absque quod futuri seculi aut apocatastaseos vllus conceptus adnecti debeat. *p* 185. Non negat daß alle Dinge, auch die unvernünfftigen Thiere durch Christum, den Worthalter GOttes (vti scribit) sollen wieder versöhnet, und unter Ihn, als das uhrsprüngliche Haupt, wiedergebracht werden, tantum vrget; es werde solches geschehen nach ihrer Arth! Addit: Und

also

also sind zwar Hunde und Katzen in ihren *NB.* durch die Sünde der Menschen, vergifteten Zustand durch Christum wieder versöhnet und wieder behauptet; aber nach ihrer Arth *p.* 186. Denn alle solche unvernünfftige, ja leblose Creaturen stehen durch den Fall des Menschen in einer gar zu grausahmen Verwüst Verwirr- und Zerbrechung gegen einander, und sind also ohn ihren Willen der Eitelkeit unterworffen. Doch von aller solchen Eitelkeit, gräulichen Unwesen, Vergifftung und Unfriede sind sie durch Christum wieder versöhnet . . . nicht allein untereinander . . . sondern auch zu Christo. Porro *ibid. p.* 187. docet: Diese Versöhnung sey geschehen sowol applicatiue, als acquisitiue, und hiernach sehne sich die elende Creatur *Rom. VIII.* 19. - 22. Quae omnia cum serio ab illo disputata, ac manifesto sensu expressa sint, & sponte fluant ex hypothesi paulo ante recitata, mirari satis non possumus, quod *p.* 192. scribat: *se ista tantum ad hominem ita proeulisse.*

§. VIII.

Speciatim vero, Filium DEI in adsumtione animae humanae angelicam quoque naturam adsumsisse, inde probare volunt Neo-Euangelistae: *Quia & angelus & anima hominis est Spiritus.* (n) Argumentum erit: *Si conceptus spiritualitatis competit tam animae humanae, quam angelo; sequitur, quod in natura animae humanae necessario simul concipiatur & ponatur natura angelica.* (o) Resp. Negamus illam consequentiam! Possunt disparata conuenire in vno tertio, & tamen manere vere disparata. Sicut infinite disparata sunt DEVS & spiritus creati, quamuis conceptum eundem communem in DEO admittamus *Io. IV.* 24. Quam autem inepta esset conclusio: *Ergo DEVS est angelus, aut anima hominis, aut naturam habet angeli & animae humanae.* Conceptus genericus vtrique huic communis est, non specificus; secus angelus esset anima, & anima homiris esset angelus, quod falsum! Ergo conceptus animae humanae non infert conceptum angeli, sed angelus & anima hominis tota specie (p) differunt: Quamuis rationem formalem, in qua angelicus spiritus differt ab anima humana, soluta praesertim a corpore, satis plene perfecteque determinare non possumus. (q) Formalem quoque rationem, qua brutorum species inter se differant, satis exprimere non valemus; illud tamen manifestum est, aliam speciem & naturam esse equium, aliam piscium, aliam quadrupedium; & quot non sunt inferiores

feriores & infimae ſpecies? Num ergo, quia equus brutum eſt, & piſcis pariter brutum eſt, poſita natura equi, ponitur natura piſcis? Innumera ex regno animali, vegetabili, & minerali hic adferri poſſent, vnde liquido conſtat, eundem conceptum genericum, aut ſpecificum ſubalternum, non inferre eandem naturam. M. GERHARDVS, ſubſtantiam immaterialem in omnibus brutis eſſe ponit, Orthodoxosque putat idem facere, (r) quamuis id vix de quibusdam prona veritate dixerit; ipſe vero illam in brutis immaterialem ſubſtantiam tota ſpecie ab animabus hominum differre fatetur. Ergo ſubſtantias ſpirituales tota ſpecie poſſe differre, ipſe fatetur. Atqui, quot modis ſpiritus inter ſe differre, & quot illorum ſpecies eſſe poſſint, nec illius eſt, nec alicuius exiſtimare; cum vix vlla nobis ſit magis abſcondita ſcientia, quam Pneumatologia. Quamuis ergo dici poſſit, Filium DEI, adſumendo animam humanam, adſumſiſſe *ſpiritum*; tamen dici nequit: *adſumſiſſe angelum, aut naturam angelicam.* Genera de ſpeciebus praedicari poſſunt, non ſpecies de ſpeciebus. Communia de diſparatis, non diſparatorum vnum de altero. Concha eſt piſcis, perca eſt piſcis, nec tamen concha eſt perca, nec poſito conceptu ac natura conchae, ponitur natura & conceptus percae! Ponamus tandem, animam humanam eſſe angelicae naturae analogam, tamen non ſatis firmiter ita concluditur: *Si ὁ λόγος in perſonae ſuae vnitatem adſumſit humanam naturam, cuius altera pars conſtitutiua eſt naturae angelicae analoga; ſequitur, quod adſumſerit naturam vere angelicam, eamque ſibi vniuerit;* Prorſus vti non ſequitur: *Si Filius DEI in hypoſtaſin ſuam adſumſit humanam naturam, cuius altera pars, corpus ſcilicet, naturae brutorum eſt analoga; ſequitur, quod vere brutorum naturam hypoſtatice ſibi vniuerit.* Nam, quamdiu homo & angelus non idem ſunt, & quamdiu adſeri nequit, tres eſſe in Chriſto naturas, verum manebit, Chriſtum *μετέχειν ſolam humanam naturam*, neutiquam vero angelicam. Vnde B. Saluator ſeipſum frequentiſſime adpellat: *Filium hominis*, nunquam vero *angelum*, aut angelorum conſortem; nec angelos, ſed ſolos homines *fratrum nomine dignatur Ebr. II. 11.* De coetero ſingulas, quas M. GERHARDVS cumulat ſophiſticationes, excutere, ſpatiam harum

pagellarum omnino prohibet. Incideret alicui in memoriam, quod b. LVTHERVS de *concomitantia Pontificiorum* merito cauillatur. (s) Nam per hanc concomitantiam Neo-Euangelistarum pari successu, posthabitâ omni scripturae litera, nescio quid tandem concluderetur. Sufficit nobis, quod scriptura de eo, quod Christus angelicam naturam adsumserit, non solum omnino sileat, sed etiam diserte contrarium doceat *Ebr. II.* 16.

(n) PETERSENIVS *l. c. contra* WINCKLERVM *p.* 46. scribit: Weil die wahre Menschheit, auszugs-weise alles in sich begreiffet, so könne man von Christo unmöglich sagen: Er habe nur die menschliche Natur, aber nicht die Englische an sich genommen; Denn es könne keine wahre Menschheit seyn, welche nicht zugleich die Natur der Englischen Welt in sich begreiffe ꝛc. u. s. w. M. GERHARDVS autem prolixius mentem suam hac de re exponit *l. c. p.* 334 *seqq.* Diesen Satz (daß Christus die Englische Natur in seine Persohn nicht aufgenommen habe) läugnen, inquit, die neuen Evangelisten. Rationem addit: Indem ja unsere Seele ein wesentlicher Geist ist. Da nun der Sohn GOttes die menschliche Natur an sich genommen, so hat er auch ja nohtwendig zugleich mit annehmen müssen die Englische Natur. Postea idem deducit è conceptu nonsolum animae & angeli generico, quod vterque sine dubio spiritus sit; verum etiam ex attributis, quae spiritui in genere competunt, e. g. quod sit: indiuisibilis, insensibilis, illocalis, immortalis, simplex, quod sit in πῇ definitiuo &c. Concludit, quia ista attributa, quae angelo competunt, etiam competant animae humanae: Also sey nun gantz unstreitig wahr, daß die menschliche Seele würcklich eine Englische Natur habe. Obiectionem, quam ab orthodoxis Theologis sibi formari fingit: *quod angelus sit spiritus completus, anima hominis autem spiritus incompletus*, (rectius forte dixisset: *Ens* incompletum, quam *spiritus* incompletus) ceu vnice adhuc residuam, consueto stylo refellit, ac totam rem ita conficit: Kurtz zu sagen: Man mag den Unterscheid zwischen den Engeln und menschlichen Seelen so hoch treiben, als man will, so wird doch nichts anders herauskommen, als daß sie beyderseits eine geistliche und Englische Natur haben, und daß sie etwa *gradu* - - - unterschieden seyn ꝛc.

(o) Rectius ita formaretur argumentum: *Si conceptus Spiritualitis competit tam animae humanae, quam angelo; sequitur, quod in vtriusque natura concipiatur & ponatur natura Spiritus*! Vel: *Si anima pariter Spiritus est, ac angelus; sequitur, quod ambo eundem habeant conceptum*

ptum communem! Hoc negabit nemo; sed: *quod ideo anima habeat naturam angeli*, non rectius sequitur, quam quod ideo *angelus habeat naturam animae humanae.*

(p) Vult GERHARDVS *l. c. p.* 336. *absolute eandem esse speciem* angelorum & animarum humanarum. At, cum species secundum Philosophos sit illud: *quod de pluribus, numero tantum differentibus, praedicatur in quid;* aut, vt cum celeberrimo CHRIST. WOLFFIO loquamur, cum *species* nil aliud sit, quam *similitudo indiuiduorum* (vid. eius **vernünfftige Gedancken von GOtt, der Welt, und der Seele des Menschen** *P. II. p.* 112. *edit. Francof. ad Moen.* 1727.) angeli autem & animae humanae non numero duntaxat differant, aut indiuidua sint prorsus similia; hinc manifestum est, angelos & animas hominum *tota specie* differre. Et si vel maxime spiritualitatis conceptus, qui vtrisque communis est, certo respectu rationem speciei admittere posset, *subalterna* tamen, neutiquam *infima* species foret. In confesso autem est, quod illud, quod respectu superioris seu generalioris conceptus, *species* est, respectu inferioris, seu strictioris conceptus, *genus* esse possit. Comp. *Summe Venerab. Dn.* PRAESIDIS *Introd. in Philos. P. I. p.* 28. CASP. EBELII *Opera Philos. p.* 15. 16. *& passim*, CHRISTOPH. SCHEIBLERI *Opus Logicum p.* 101. Adde MICRAELII & S. R. WALCHII *Lexica Philos. voce: species!*

(q) Sufficere nobis potest, varias dissimilitudines inter angelos & animas hominum deprehendi, vnde concludamus: *angelos & animas hominum amplius, quam solo numero differre.* Alius est finis creationis angelorum, quam animarum humanarum, alia est ratio subsistendi angelorum, quam animarum humanarum, quae incomplete subsistunt; maior est sapientia, penetratio, & potentia angelorum, quam animarum humanarum; qua de re tot in Scriptura sacra extant documenta. Peculiari *angelorum* nomine hi spiritus in Scriptura adpellantur; quod, an in solo fine creationis radicetur, an in ipso existendi modo, seu natura simul, quis est qui determinabit? Non semel ab animabus separatis expresse distinguuntur in sacro Codice, e. g. *Ebr. XII.* 22. 23. Tandem, si angeli vel solo gradu perfectionis essentiae, qui tamen oppido magnus est, ab animabus hominum distingui possent, satis distincti essent; vt de his non statim dici possit: quod habeant eandem naturam angelicam, & quod eiusdem speciei esse debeant. CHRIST. WOLFFIVS *l. c. P. I.* §. 309. scribit: **Weil nun die Grade der Deutlichkeit (in den Vorstellungen) gar sehr unterschieden seyn können, so sind auch NB. viele Arthen der Geister möglich; und werden diejenigen**

gen Geister Seelen genennet, da die vorstellende Krafft durch den Stand eines Cörpers in der Welt und seine Gliedmassen der Sinnen, eingeschrencket wird. Prouocat ad §. 573. Vbi probat: Daß die Seele des Menschen keine andre Krafft habe, sich die Welt vorzustellen, als nach dem Stande ihres Cörpers in der Welt.

(r) *L. c. p.* 136. §. 414.

(s) *Vid. opera* b. LVTHERI *Altenb. Tom. III. p.* 910.

THESIS III.

Christus ergo pro solis hominibus, non pro angelis damnatis satisfecit; illorum, non horum est redemptor & mediator; quapropter etiam damnatis angelis neutiquam speranda est per Christum salus!

§. I.

EX iis, quae hactenus commentati sumus, facile constabit: *lapsis angelis nihil esse solatii in Christo, illosque excludi à redemptione, quae per Christum in vsum solius generis humani facta est.* Quamuis autem haec veritas multa probatione amplius egere non videatur, tamen paucis adhuc monstrandum est, hanc thesin non perperam adsumi, sed firmissimo niti fundamento. Ita enim cum veneranda antiquitate inferimus: *Quicquid, seu, quamcunque naturam Filius DEI non adsumsit in suae personae vnitatem, illud, seu, illam naturam, etiam non redemit. Atqui angelos, seu angelorum naturam non adsumsit &c. Ergo angelos etiam non redemit!* (a) Per consequens, angeli lapsi non habent Christum mediatorem, satisfactorem, & sospitatorem, cuius ope restaurationem ex flammis poenisque infernalibus expectare debeant. *Minor* propositio probatur ê verbis Paullinis: ὁ γὰρ ἐπιλαμβάνεται ἀγγέλων, quam negatam ἐπίληψιν de adsumtione peregrinae, angelicae nimirum naturae, in hypostasin Filii DEI, intelligendam esse, supra euicimus. Si quis vero etiam *de opitulatione*, sich jemandes mit Liebe, Hülffe und Gnade annehmen, intelligere vellet, corroboraret is nihilominus illam veritatem, quod

Christo

Christo redemptori cum angelis lapsis nullum sit gratiae commercium. Cui enim negatur res in toto & in genere, illi etiam negatur res in parte, & in specie! *Maioris* autem propositionis probationem, quamuis de authoritate & consensu tot omnis aeui Ecclesiae Doctorum nihil omnino dicendum esset, nonnullis rationibus, quanta fieri potest breuitate, dabimus.

(a) Ludit D. PETERSENIVS cum hoc argumento & axiomate, quando *Tom. I. Apocatast.* im Gespräch *P. III. p.* 134. §. 4. ita scribit: Wolte aber ja jemand mit Gewalt darauf dringen, daß durch den Saamen Abrahä allhier verstanden werden müste, nicht die Persohn Christi, sondern die von der Persohn Christi angenommene menschliche Natur in abstracto, - - - So folget daraus ein gräuliches absurdum; Denn wenn man nach obgesetztem Schlusse inuicte argumentiren kan: Was Christus angenommen hat, eben dasselbige hat Er auch erlöset; So kan ich ja richtig subsumiren: Nun hat Christus wahre menschliche Natur aus der Jungfrauen Maria angenommen; Drum hat er auch diese seine aus der Jungfrauen Maria angenommene menschliche Natur erlöset, und folglich so ist er nach derselbigen ein Sünder und verdorbener Mensch gewesen, der selbst eines Erlösers bedurfft hat. At respondemus: illud huic axiomati impactum absurdum non fluit ex illo per se, sed ex inepta eius interpretatione & adplicatione. Nunquam aliquis hoc axioma in illo sensu vsurpauit aut intellexit, in quem PETERSENIVS illud flectit: *Quidquid* (hoc est, *quodcunque indiuiduum, quamcunque indiuidualem naturam*) *Christus non adsumsit, illud*, (h. e. *illud indiuiduum, illamue indiuidualem naturam*) *Christus non redemit*! Sic enim nullus vllus mortalium per Christum redemtus esset, nec ille mediator inter DEVM ac homines dici posset. Aut, sicut data opera, vt facilior sophismati locus sit, adfirmatiue & positiue effert: *Quicquid* (h. e. *quamcunque indiuidualem naturam*) *Christus adsumsit, illud* (h. e. *illam indiuidualem & singularem naturam*) *etiam redemit!* Si is vnquam Ecclesiae sensus fuisset, verum esset, quod immane absurdum inde flueret, sc. quod Christus corruptus homo fuerit, & propriam humanam naturam redemerit. Quis autem est, qui non videt, hunc esse canonis sensum: *Quidquid* (*quamcunque creaturae rationalis lapsae naturam*) *Filius DEI non adsumsit* (siue: *de qua ille non participauit*) *illud* (seu, *illam lapsae creaturae naturam*) *etiam non redemit.* Vel: *Quorum naturam Filius DEI non adsumsit, eorum non est redemptor ac mediator, nec pro peccatis eorum iustitiae DEI satisfecit*! Si autem in sensu adfirmatiuo effertur: *Quidquid Filius DEI*

adsumsit, illud etiam redemit! Sensus est: *Cuiuscunque creaturae rationalis aliquam indiuiduam naturam Filius DEI hypostatice adsumsit, illam ipsam creaturam rationalem etiam redemit!* Vel clarius: *Cum quo creaturarum rationalium genere Filius DEI aequalem, quin spacie eandem voluit habere naturam, illud creaturarum rationalium genus voluit etiam redimere*! Conclusio radicatur in identitate specifica illius, quod Filius DEI adsumsit, cum illo, quod redimendum erat. Peregrinâ autem, humanam puto, naturâ Christo opus non erat, nisi vt in illa natura & per illam, hos, qui eiusdem naturae sunt, & quorum consanguineus & frater factus est, redimeret. Deinde vero, cum ipse PETERSENIVS, & reliqui Neo-Euangelistae: Filium DEI in anima humana, angelicam naturam adsumsisse statuant, quin imo, cum vniuersalissimae apocatastaseos fundamentum in eo ponant, quod Filius DEI in humana natura microcosmum adsumserit, vnde macrocosmo, i. e. omnibus omnino creaturis mundi, redemptio & restitutio parta sit; concedunt eo ipso hunc canonem: *Quidquid Filius DEI non adsumsit, illud non redemit*! Sine, vt PETERSENIVS format: *Quidquid adsumsit, illud redemit*! Multum quoque industriae collocant in probando, quod Filius DEI, in & cum humana natura, angelos & omnis creaturae naturam adsumserit: Nonne igitur per retorsionem concludere possemus: *Quidquid Filius DEI adsumsit, illud etiam redemit. Atqui adsumsit ex Maria veram angelicam* (posito) *naturam, adsumsit microcosmum. Ergo illam ipsam suam adsumtam è Maria naturam redemit, fuitque corruptus homo & angelus & microcosmus peccator, qui ipse eguit redemptore*! Quod nobis responderent, respondeant etiam sibi ipsis!

M. LVD. GERHARDVS, perspiciens fortassis, hunc PETERSENII lusum non vsque quaque procedere, subtiliore modo ictum declinat, concedendo (saluis tamen suis reseruationibus, & inaudita limitatione) totum argumentum: *Quidquid Christus non adsumsit, illud non redemit, Atqui angelicam naturam Christus non adsumsit, Ergo non redemit*! Nimis molestum est, omnia verba eius adlegare, mens eius eo abit: Distinguit inter phrasin: Christus redemit angelos lapsos AB inferni aeterno cruciatu, & EX inferni aeterno cruciatu! Germanice: Von der ewigen Höllen-Pein, und aus der ewigen Höllen-Pein! Concedit: quod Christus *solos homines redemerit*: Von der ewigen Höllen-Pein, daß sie dieselbe nicht ausstehen dürffen, dahingegen die Teuffel die Gerechtigkeit GOttes erst im allerhöchsten grad kosten, und durch das Höllische Feuer von grad zu grad zur raison gebracht werden müsten: Ein anders aber, scribit,

sey

sey es, wenn man sage: GOtt werde den gefallenen Engel NB. aus der Höllen-Pein, nach verflossenen Ewigkeiten wieder erlösen! Sub prima igitur limitatione concedit totum argumentum; sub altera limitatione negat maiorem propositionem. Vid. *System. Apocat. Cap. III. §. 394. p. 324.* Sed si ista limitatio responsione digna est, 1) quaerimus: vbinam ergo in sacra Scriptura legatur fundamentum distinctionis inter redemptionem per Christum factam AB inferno & EX inferno? 2) Si voculam: EX, praecise interpretamur, docet potius sacra Scriptura, quod nulla sit EX inferno liberatio. *Es. LXVI. 24. Marc. IX. 44. 46. 48. Luc. XVI. 26. Apoc. XIV. 11.* 3) Redemptionem Christi credimus iam peractam, & non olim post aeonas multas demum perficiendam esse; fructum autem, effectum, & adplicationem meriti Christi, non possumus per ipsum actum redemptionis efferre. De *actu* autem redemptionis Christi, de eius merito, satisfactione & adquisitione iam peracta loquitur nostrum argumentum. Quomodo itaque ad argumentum quadrat limitatio? Nisi forte Neo-Euangelistae putant, quod Christus adhuc secunda vice passionem, satisfactionem, mortemque, & quidem pro damnatis angelis suscepturus sit. At sublaestae fidei res est, quando de redemptione Christi, quae in angelorum lapsorum liberationem cedet, loquuntur; quum *partim* satisfactionem diabolorum poenalem statuant, *partim* loquendi formulis vtantur, quas, nemo intelligit: Christus werde die Teufel mit seinem Blut tingiren und betreuffeln, auch die Höllen-Straffe so modificiren, daß nach ausgebrandten teuflischen Geist, endlich ein reiner Engel werde heraus kommen, & quae non alia! *Partim* haut raro propriae causae diffidant, scribantque: Die Weißheit GOttes konne wohl andere Mittel wissen, als das Blut seines Sohnes, das geliebte Wesen der Creatur aus der Pein endlich wieder loßzumachen. Man müste der Weißheit GOttes hierin keine gewisse Gräntzen setzen rc. Vor der Hand aber habe man eben nicht nöhtig zu glauben, daß GOtt ein ander Mittel, die Hölle dereinst gäntzlich zu zerstöhren und zu zernichten, brauchen werde, als das kräfftige GOttes Blut des allgemeinen Welt-Heylandes rc. Vid. *System. Apoc. C III. p. 325.* 4) Ex hypothesi Neo-Euangelistarum falsum est, quod Christus solum homines AB- & lapsos angelos solum EX-inferno redemerit. Creduntne apocatastasin hominum verè iam damnatorum? creduntne, quod falsus propheta, & peccatores in Spiritum Sanctum aequalem durationem infernalium cruciatuum vsque ad aeonum decursum plenarium, passuri sint? Ad quid ergo distinctio inter redemptionem von- und aus- der Höllen-Pein? Quomodo dicere

cere possunt: solos diabolos redemtos esse: aus der Höllen-Pein! Quomodo sub limitatione: der Erlösung von der Höllen-Pein, totum argumentum possunt concedere; cum eo ipso fatendum ipsis sit, quod peccatores in Spiritum Sanctum non pertineant ad homines, quorum naturam Christus adsumsit. Ergo ista battologia ipsi, quid dicant, nesciunt.

§. II.

Primo quidem, quod aeternus Filius DEI peregrinam & longissime â se remotam naturam, nimirum humanam, adsumere sibique hypostatice vnire voluerit; citra grauissimas causas & citra quod necessitas rei gerendae id flagitaret, factum non esse, nemo est qui diffitebitur. Si enim infinita sapientia DEI aliud temperamentum, quo & iustitiae suae satisfieri & amori erga lapsum genus humanum, vt illud restauraretur & ab extrema miseria liberaretur, locus concedi queat, possibile inuenisset; aeternus Pater sane proprium Filium infimae miseriae, infandis animae & corporis cruciatibus, mortique ipsi non tradidisset (b). Tradidit autem eo ipso, quod voluit, illum adsumere nostram carnem, quam si non adsumsisset, illis passionibus innumeris mortique haut potuisset esse obnoxius. Oportuit ergo, necessariam fuisse adsumptionem naturae eorum, qui redimendi erant. Sic, vt Christus mediator inter DEVM & homines fieri non potuerit, nisi, qui DEVS â DEO esset, etiam homo fieret ab homine, & in persona composita θεάνθρωπος! Equidem temerarium est, quid DEVS possit, aut non possit, determinare; sed in hac re, citra temeritatis notam, adserimus, DEVM non potuisse nobis mediatorem dare, nosque è miseria nostra vindicare, nisi per Filium, in humana natura nostro loco constitutum, & pro nobis reatum poenamque suscipientem. Id vero concludimus, partim è summa sapientia DEI, *partim* ê summo erga vnigenitum Filium suum amore. Pro isto enim, quo illum infinite complectitur, amore, pepercisset illi, si aliud remedium, tantos cruciatus tantasque passiones, Filio DEI suscipiendas, non postulans, reperiri potuisset. Pro ista autem infinita sua sapientia vidit, aliam viam non dari, sed hoc extremum tamen suscipiendum esse. Quapropter etiam in hoc, βάθος amoris diuini erga nos nunquam satis depraedicari potest. Conf. *Io. III. 16. Rom V. 8. VIII.*

VIII. 32. Conf. *Es. LIII.* 4.5.6.10. *Zach. XIII.* 7. Confirmamur autem in hoc, quod redimenda natura â Filio DEI etiam fuerit adsumenda, per dicta *Ebr. II.* 17. vbi exacta similitudo Christi cum nobis, non solum in essentialibus, sed & in extra-essentialibus nostrae naturae, legitur necessaria fuisse ad opus redemtionis, *vt Christus fieret noster sacerdos ad expianda peccata nostra.* it. *Ebr. V.* 1. vbi Apostolus ad analogiam typicam sacerdotii V. T. expresse docet: *Quod, quicunque sacerdos constituitur pro hominibus quoad ea, quae ad DEVM pertinent, ex hominibus adsumi debeat.* Per consequens etiam summus Sacerdos N. T. ex hominibus adsumendus fuit, hoc est: verus homo esse debuit, particeps omnino nostrae naturae! Iam concludimus: Si Filius DEI, flagitante necessitate, debuit nostram naturam adsumere, ita, vt citra incarnationem non potuerit esse noster mediator, redemtor, sacerdos, siue satisfactor vicarius; sequitur: quod redemtio humani generis & adsumtio humanae naturae, â redemtore Filio DEI instituenda, sint correlata, quorum vnum sine altero esse nequit. Cum ergo parium par sit ratio, manifestum est, quod Filius DEI, si angelos lapsos redimere voluisset, naturam quoque angelicam adsumere (c) & Θεάγγελος, qualem tamen tota Scriptura prorsus ignorat, fieri debuisset. Si ais: forte Christus, Θεάνθρωπος, potuit angelorum quoque redemtor esse; vt, creatam aliquam naturam adsumsisse, ad redimendas omnes lapsas creaturas rationales suffecerit! Quaero, quidni ergo suffecit, Christum Θεάγγελον fieri, vt & homines vna cum angelis redimeret? Quare oportuit ἄνθρωπον εἶναι, quum in humanitate longe plus patiendum esset redemtori, quam in angelica quadam natura, quae, vti corporis, ita etiam corporeae passionis, dolorum & mortis expers est! Siccine redemtio vtriusque redimendi facilior fuisset redemtori? Probabilissimum autem est, DEVM Filio vnigenito facillimam satisfaciendi viam indulsisse, si id factu possibile fuisset. Manet ergo pium axioma nostrum: *Quidquid, vel, quorum naturam Filius DEI hypostatice non adsumsit, illud non redemit!*

(b) Collige id è verbis ipsius dulcissimi Seruatoris *Luc. XII.* 50. *Io. XII.* 27. *Marc. XIV.* 36. *Matth. XXVI.* 39. Vnde necessitas rei ab-

Landesbibliothek Oldenburg

soluta, & quod secus fieri redemtio nostra haut potuerit, facile cuiuis adparebit.

(c) M. LUD. GERHARDVS aliter quidem sentit, cum putat, sapientiae diuinae limites in hoc poni non debere, vti eius verba supra adlegauimus. Conf. quoque *System. Apocat. Cap. III. p. 333.* Vbi: Diesen majorem (sc. wo Christus die Englische Natur in seine Göttliche Persohn nicht angenommen, so folget, daß die Teuffel unendlich werden geqvälet werden) scribit: läugnen die neuen Evangelisten, und wenn ihr denselben beweisen wollet, so müsset ihr . . . darthun; daß es unmöglich sey, daß der allgemeine Welt-Heyland die gefallenen Engel aus der erschröcklichen Höllen-Pein erlösen könne, aus der Ursach, weil er ihre Natur, so stricte zu reden, nicht angenommen! Verum, quum sacra Scriptura nobis ita praeeat, & dicat, quod illud opus, quo Filius DEI ad redemtionem humani generis, humanam quoque naturam adsumsit, tantum sit ἔνοχμα sapientiae diuinae, tantumque mysterium, *quod & angeli introspicere cupierunt* 2. *Petr. I.* 12.; nobis aliter iudicare integrum non est, sed optimo iure à pari, hoc est, à nostra redemtione ad angelorum redemtionem, quomodo res cum illa, si facta esset, aut potuisset fieri, debuisset comparata esse, donec aliud è sacra Scriptura docebitur, concludimus.

§. III.

Secundo, satisfactor vicarius nemo esse potest, nisi in loco & statu eius constitutus sit, pro quo satisfacit. Secunda Deitatis persona, qua talis, in locum nostrum non constitui, nec pro nobis satisfacere poterat. Non enim in Filium DEI cadit obligatio ad praestandum, quod nobis praestandum erat, siue actiua siue passiua satisfactione. Non poterat praestare satisfactionem actiuam pro nobis, cum dominus & legislator ipse esset, nec satisfactionem passiuam poterat praestare, cum id aeternae perfectioni & beatitudini eius prorsus contrarium, & ἀδύνατον esset. Quando ergo sapientia DEI mediatorem nobis quaesiuit, alium non inuenit quam Θεανθρωπον. 2. *Cor. V.* 19. DEVM oportebat esse, vt esset dignus DEO & validus mediator, tuereturque partes DEI in tota satisfactionis causa. Hominem oportebat esse, vt tueretur partes hominum, & vt praestare posset ipsam actiuam & passiuam satisfactionem, ad quam homines tenebantur quidem, vi iustitiae diuinae laesae, sed ad quam erant

erant prorsus ineptissimi. Humanis vero actionibus & officiis debebat legem explere, humanos dolores, cruciatus, poenasque sustinere. Ergo etiam oportebat illum constitui in locum & statum hominum; id quod fieri non poterat, nisi homo ipse fieret. Secus quoque nullum imputationis idoneum fuisset fundamentum. Christo enim non-homini qua ratione hominum peccata, & hominibus qua ratione Christi non-hominis iustitia, satisfactio & meritum imputari aut poterant aut debebant? cum neutri cum altero esset commercium, relatio & vinculum. Adparet ex his, Filium DEI in locum & statum nostrum non collocatum, satisfactorem quoque nostrum vicarium habitum non fuisse, si e. g. angelicam naturam adsumsisset, fuissetque Θεάγγελος. Ergo ex aduerso iterum recte concluditur: Christum in locum & statum angelorum non constitutum angelorum lapsorum quoque satisfactorem vicarium non esse, cum non angelicam, sed humanam adsumserit naturam, cum non illorum sed nostras vices in satisfactione sustinuerit, ideoque nullum adsit fundamentum, quare Christo non-angelo angelorum peccata & poenae, angelis autem Christi non-angeli meritum imputari aut debeat aut possit; quum inter Christum & angelos nullum vicariatus & mediationis vinculum, commercium, signum, aut relatio existat. Vicarius enim est, *qui in locum alterius substituitur.* Vt autem aliquis possit esse satisfactor vicarius, opus est, vt habeat *requisita physica & moralia*; Physica requisita non habet, qui talis non est, vt & actiuam & passiuam pro altero satisfactionem praestare possit *in illo statu, modo ac gradu*, quo ille, pro quo satisfaciendum erat, tenetur (d). Status autem, modus & gradus, quo quis & actiue & passiue satisfaciendum habet, necessariam dicunt relationem ad essentiam & naturam eius, qui principaliter tenetur. Ergo eâdem mensura non debet iudicari satisfactio actiua & passiua, quam *homines lapsi*, & quam *angeli lapsi* iustitiae diuinae debent, sed differt illa pro vtriusque natura, statu, actionibus & passionibus. Ergo, qui hominum satisfactor vicarius est, non statim angelorum est satisfactor vicarius! Sed satisfactor vicarius, perfectus & complete talis, debet perfectissime in locum eius constitui, pro quo satisfacit. Hoc autem cum non fiat

perfectissime, nisi satisfactor sit naturae eius, pro quo satisfacit; manifestum est: Christum eius non esse satisfactorem vicarium, cuius ille naturam non adsumsit. Ergo *quod*, vel *quorum naturam non adsumsit*, *illud*, *vel illos non redemit*!

(d) Leg Dn. M. IO. GEORG. ꝛnr Linden, Pastoris iam apud *Lunaeburgenses* bene merentis *Diss. Phil. de Satisfactione vicaria*, habitam *Ienae* 1734 praesertim *p* 23. *seqq*.

§. IV.

Tertio sacra Scriptura combinat notionem redemtoris generis humani cum notione *Goëlis consanguinei V. T.* (e) *Iobus* enim Messiam adpellat *Goëlem suum Iob XIX.* 25 Ergo officium Goëlis V. T. typice adumbrauit officium Messiae redemtorium, quod ex ipsa quoque vocis גאל significatu colligitur, quando illa adplicatur ad opus redemtorium Messiae *Hos. XIII.* 14. Si ergo redemtor debet esse *Goël & consanguineus*; sequitur, quod multo potius eiusdem naturae cum redimendo esse debeat: Sequitur item, quod redemtor non sit illius, ad quem sibi nulla peculiaris est relatio, cum quo nulla propinquitas nullusque naturae nexus Hi enim ad illum non pertinent, nec ipse ad illos Iam vero Christus per eiusdem naturae & sanguinis nexum *Ebr. II.* 14. *noster frater est Ebr. II.* 11. *nosque sumus de eius carne & ossibus Eph. V.* 30 Ergo & noster est *Goël* atque redemtor, propter nos *Zelotypus est. Es. IX* 7. *nosque á morte & inferno vindicauit*, *Hos. XIII.* 14. Ex hoc colligimus, quod, si Christus esset redemtor angelorum lapsorum, deberet etiam illorum *Goël*, aut ad minimum *naturae angelicae particeps* esse (f). Atqui nuspiam legitur, quod Christus angelorum *Goël* sit, nuspiam legitur, quod angelos, aut naturam angelicam adsumserit, potius Apostolus, vti supra ostensum, illud expresse negat. Ergo etiam angelorum redemtor non potest haberi! Confirmat nos in hac sententia Apostolus *Ebr. II.* 11. quo loco de nostra cum Christo fraternitate, & quod ille noster consanguineus sit, loquitur, hoc pro fundamento ponens: ὁ τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι, ἐξ ἑνὸς πάντες. Quod ille ἁγιάζων sit Christus, nullam opinamur, probationem postulat. Non enim solum antecedentium & consequentium cohaesio

illud

illud satis indicat, sed & idem, qui est ἁγιάζων, is ille est, de quo Apostolus ait: οὐκ ἐπαισχύνεται, ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν. Comp. tamen *Io. XVII.* 19. 1. *Cor. VI.* 11. *Ephes. V.* 26. *Ebr. X.* 10. 14. Qui vero sint οἱ ἁγιαζόμενοι, ex correlatione liquet; suntque illi, quos Christus *fratres* adpellat, & *de quorum carne & sanguine participauit, vers.* 14. *qui pertinent ad Ecclesiam DEI, vers.* 12, *tandem qui simul cum Christo sunt* ἐξ ἑνὸς ab eodem communi stirpe, Adamo scilicet, conf. *Act. XVII* 26. Concludimus inde: Si omnes, qui per Christum sanctificantur, sunt cum ipso *eiusdem naturae, eiusdem sanguinis, ex eodem communi stirpe*; sequitur, quod, qui non ita sunt eiusdem cum Christo naturae, & istum nexum, quo illorum *Goël* & *frater* Christus esse possit, non admittunt, illi etiam per Christum non sanctificentur, nec ius & relationem ad eius officium mediatorium & redemtorium habeant. Atqui angeli &c. Ergo &c. Quodsi itaque Christus factus esset θεάγγελος, ad nos ille non spectasset, nec noster potuisset esse redemtor, sanctificator, consanguineus atque Goël, non fuisset nobiscum oriundus ἐξ ἑνὸς. Vnde, nisi nos omnia fallunt, iterum manifestum est ac verum illud axioma: *Quidquid*, vel *quorum naturam Christus non adsumsit, illud, vel illos etiam non redemit!*

(e) De quo legitur *Leuit. XX.* 25. Conf. *Ruth. III.* 12. 1. *Reg. XVI.* 11. Pertractauit illam materiam b. GEORG. GOETZIVS in *Disp. de Redemtore Hebraeorum. Ienae* 1661.

(f) Quod Filius DEI angelorum *Goël* eo modo, quo hominum *Goël* est, fieri non potuerit, nemo est, qui non facile intelligat. Cum enim nec propinquitas sanguinis, nec propagatio generis inter angelos, qui spiritus, & in omnibus indiuiduis eodem tempore simul à DEO creati sunt, locum habeat; longe alia inter Filium DEI, si angelicam naturam adsumsisset, & inter angelos, esset relatio, quam inter Filium DEI, in humana natura exhibitum, & inter homines. Horum enim natura, quum humana indiuidua omnia ortum trahant ab vno communi patre, *Act. XVII.* 26. istam propinquitatem, quae in *Goële* requiritur, admittit, omnesque Adami filii, non solum eiusdem speciei creaturae, sed etiam inter nos inuicem connexi sumus, fratres & consanguinei. Angelorum vero vnus ad alterum, vltra speciei, qua conueniunt, identi-

Landesbibliothek Oldenburg

identitatem, h. e., vltra quod creaturae sint homogeneae, nullam omnino habet relationem. Vnde apostasia aliquorum reliquis non nocuit, & perseuerantia bonorum in bono, nullo solamini est malis angelis. Quisque eorum sibi ipsi aut stat, aut labitur, citra quod illud in alterius statum aliquem influxum habeat. Quantopere in hoc distet conditio hominum â conditione angelorum, nulla id eget deductione. Conf. *Rom. V.* Itaque meretur adtendi, hanc ipsam *Goëlis* notionem miram difficultatem obiicere isti Neo-Euangelistarum hypothesi: *quod Filius DEI angelicam, pariter, ac humanam naturam hypostatice adsumserit, ideoque angelorum etiam sit redemtor.* Ponamus enim, Filium DEI in vnionem hypostaticam adsumsisse, siue *vnum* illorum angelorum, qui primo creationis tempore, cum reliquis â DEO creati erant, siue *nouiter creatum aliquod indiuiduum angelicum;* Ponamus etiam, nulla difficultate laborasse, quod *in primo casu* destruenda & absorbenda fuisset finita hypostasis illius, ab initio iam creati, & per totum illud tempus, quod â creatione effluxerat, per se subsistentis angeli; aut, quod *in secundo casu*, illud nouiter creatum indiuiduum angelicum in ipso creationis suae momento, in hypostasin infinitam Filii DEI adsumendum fuisset, citra quod essent duo Christi, alter Θεάνθρωπος, alter Θεάγγελος. In vtroque tamen casu non peruidendum est, quod Christus ex illo fundamento redemtor angelorum lapsorum esse, aut credi necessario debuerit. Quodnam enim relationis Christi ad indiuidua angelorum lapsorum vinculum inde enascitur, & qua ratione lapsi angeli ad Christum, & Christus ad illos pertinere censentur? quum inter angelum & angelum nulla propinquitas intercedat. Quandoquidem etiam omnis contractus beneficus est strictae interpretationis, fieri non potuit, vt angeli lapsi solatium caperent ê Christo, licet Θεαγγέλῳ; nisi Filius DEI expressissime declarasset, se angelicae naturae adsumptione voluisse redemtorem esse angelorum lapsorum. Humano autem generi Filius DEI illud non solum exsertissime declarauit, sed ipsa quoque eius incarnatio certissimum solatii nostri fundamentum existit, ideo, quod Christus per illam noster *frater*, *consanguineus & Goël* factus est.

§. V.

Addimus autem huic argumento: *Christus non redemit angelos, quia illos, seu, eorum naturam hypostatice non adsumsit!* adhuc aliud, sequentis tenoris: *Quicunque humani generis solius mediator, saluator,*

ſaluator & ſolatium eſt, ille non eſt lapſorum quoque angelorum mediator, ſaluator, & ſolatium; Atqui Chriſtus &c. Ergo &c. Maioris propoſitionis veritatem nemo, cui eſt ſanum ſinciput, infringere aut negare conabitur. *Minor* autem propoſitio in gratiam Neo-Euangeliſtarum nobis probanda erit. Probamus ergo illam 1) ê Textu noſtro *Ebr. II.* 16. *Non adſumit angelos, ſed ſemen Abrahae adſumit!* Vrgemus hic partim oppoſitionem *actus*, partim oppoſitionem *obiecti*. Opponitur τὸ: *adſumere* τῷ: *non adſumere*. Opponitur *ſemen Abrahae*: *Angelis*. Quòd ergo de altero obiecto adfirmatur, illud vi oppoſitionis, de altero negatur, veluti ſupra deduximus. Concludimus: *Si Filius DEI ſolam humanam naturam in finem redemtionis adſumſit, nequaquam vero angelicam; ſequitur, quod ſolius generis humani, neutiquam vero angelorum ſit redemtor &c.* 2) Ex oppoſitione manifeſta *duplicis finis & effectus*, quare Filius DEI naturam humanam induere voluerit. Alter enim finis & effectus fuit, *vt redimeret homines*, alter vero, *vt diabolo adimeret poteſtatem. Ebr. II.* 14. 15. Confer Prot-Euangelium *Geneſ. III.* 15. humano generi datum, cum hoc in terrorem diaboli adnexo: *ſemen mulieris caput tibi conteret!* Argumentamur: *Si Chriſtus venit, vt eripiat diabolo poteſtatem, deſtruat eius opera*, 1. *Io. III.* 8. *& caput illi conterat; non venit, vt eius amicus & redemtor, ſed vt eius hoſtis ſit & triumphator* (g). Vae autem victis! Vinci & in triumpho captiuum duci, cum beneficio redemtionis nunquam componi poterit. *Coloſſ. II.* 15 *Apocal. XII.* 9. *Io. XVI.* 11. *Io. XII.* 31. Vnde ergo lapſis angelis ſolatium ducitur ex exhibitione & redemtione Chriſti? quum illa non modo *ad ſolos homines, in oppoſitione diaboli reſtringatur*, ſed & *huic*, quid â Chriſto, *actum contrarium in illum exercente*, expectare habeat, expreſſa littera indicetur. 3) Chriſtus ſaluator mundi, in opere redemtionis non ſolum *Rom. V* relatiue opponitur *Adamo*, qui dicitur τύπος τοῦ μέλλοντος, *verſu* 14. ſed etiam 1. *Cor. XV.* idem legitur, Chriſtusque ibi adpellatur: ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος! *verſu* 45. 47. Veritates adnotamus ex his ſequentes: *Adamus* cum *Chriſto*, & Chriſtus cum Adamo relatiue componuntur, vt, ſicut Adamus *cauſa & radix eſt perditi* humani generis, ita

Chriſtus

Christus *causa sit & radix restituti* humani generis! Componitur *culpa Adami*, quae totum genus humanum infecit & corrupit, cum *iustitia Christi*, quae totum genus humanum sanauit! Componitur *malum illud*, quod per Adamum in orbem intrauit, cum *salute & beneficio* per Christum partis. *Adamus in vniuersali corruptione*, quam, vt caput non physicum duntaxat, verum etiam morale & foederale, in totum genus humanum deriuauit, *typus est relatiue oppositus Christo, in vniuersali merito*, quod, vt caput foederale deriuauit in totum genus humanum! *Quam late patet culpa Adami, & malum* per illam introductum, *tam late patet meritum Christi, & beneficium* per eundem introductum, vid. *Rom. V.* 18. *Cuius Adamus est causa damnationis, eius Christus est causa restitutionis & salutis!* Si secus, quare Christus vocatur *Adamus alter*? quare in negotio redemtorio *relatiue opponeretur* primo Adamo? Quod si enim redemtio, quae per Christum facta est, vltra genus humanum extensum esset, vt angeli eandem, quam homines, partem in ista haberent; *manca esset* haec oppositio relatiua, & *nimis parum* dixisset Spiritus Sanctus de tam vniuersali merito ac restitutione. Relatiue opponendus fuisset *Christus* non *Adamo* solum, sed & *diabolo*, aut *toti creaturae rationali lapsae*; nisi quis Adamum etiam diabolorum patrem esse, illosque è *Lilith* generasse, cum nonnullis, Iudaeis delirare velit. Ex his ergo aliud nihil concludi potest, quam: quod Christus *solius* humani generis, Adami filiorum, per illius culpam infectorum, non vero angelorum lapsorum, vt qui ab Adamo & eius filiis diuersissimi sunt, mediator, redemtor, solatiumque haberi & credi debeat.

(g) Excipient quidem Neo-Euangelistae, se hoc non dimicare, sibique illud aduersum non esse. Non enim sequi: *Christus ademit diabolo potestatem, & triumphum de illo reportauit; Ergo Christus non est redemtor angelorum malorum! Diabolum* nimirum distinguunt & *lapsos angelos*. Diabolum hostem Christi esse credunt, *quamdiu diabolus est*; at credunt etiam, daß der teuflische Geist von dem gefallenen Engel soll ausgebrandt werden; tunc vero Christum fore horum angelorum, antea malorum, sospitatorem. Respondemus autem: 1) Quod Sacra Scriptura de illa diaboli exustione nihil vmquam tradat, nec vllum discrimen inter diabolum & angelos lapsos agnoscat; petunt ergo Neo-Euangelistae principium!

um! 2) Si Christus lapsorum angelorum esset saluator, quidni etiam de illorum redemtione vel verbulum excidit Apostolo, quando h. l. de redemtione hominum loquitur? Quare docet de hominibus, *quod in redemtionem illorum*, de angelis lapsis vero, *quod simplicitor in capistrationem & debellationem ipsorum Christus venerit*? Quare *opponit* homines angelis lapsis, quidni *subordinat*, quidni *tacet* de angelis lapsis? *Quum autem de eodem Christo praedicet oppositum actum*, quorum alter *beneficus* est, alter *hostilis*, alter *in homines* tendit, alter *in angelos lapsos*; vi oppositionis nobis non licet aliter concludere, quam quod angeli lapsi â beneficio redemtionis, quae ad homines ipsa litera restringitur, prorsus excludantur.

§. VI.

Idem 4) concludimus ex 1. *Tim. II.* 5. 6. vbi legitur: *Vnus est mediator DEI & hominum, homo Christus IESVS! qui dedit seipsum in pretium redemtionis pro omnibus!* Quodsi Christi officium mediatorium ad angelos quoque lapsos pertineret, quare quaeso Spiritus Sanctus mentionem omnino nullam illorum faceret, quare *ex parte solum* describeret factam redemtionem? Partes autem aduersae, inter quos Christus absoluit mediatoris officium, plures non determinantur, quam: *DEVS & homines.* Mediator quoque describitur, quod *in humana praecise natura* mediationem peregerit, *non in angelica, aut mixta: humano-angelica.* Omnes illi, pro quibus Christus Μεσίτης seipsum dedit ἀντίλυτρον, praeter vniuersum genus humanum *nulli* sunt. Quod enim hic nude legitur: ὑπὲρ πάντων, illud *ad homines duntaxat* restingitur, non solum eo ipso, quod Christus dicitur: Μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, sed etiam è commate praecedente: Θεὸς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι. Ergo: quos DEVS *vult saluos* fieri, sunt *iidem, quorum* Christus est mediator, mediator autem est *hominum!* Illi, quorum mediator est Christus, sunt *omnes, pro quibus se dedit* ἀντίλυτρον, hi autem sunt *illi, quos DEVS vult saluari*, hi autem sunt *omnes homines, non angeli!* Inde est, quod Apostolus Christo non φιλαγγελίαν sed φιλανθρωπίαν tribuat *Tit. III.* 4. φιλάνθρωπος vero non magis, aut potiore iure dicendus esset, quam φιλάγγελος, si non hominum solum, verum etiam angelorum esset mediator atque redemtor!

Landesbibliothek Oldenburg

§. VII.

5 Singularem in hac causa adtentionem meretur, quod sancti angeli, illâ, qua Saluator mundi nascebatur, nocte, tanta laetitia tantoque splendore adparentes, totoque coelesti choro natiuitatem tanti Saluatoris cantantes, *humanam praecise & solam*, depraedicent ex hoc Saluatore adquirendam felicitatem, nullatenus *vero angelorum lapsorum*, creaturarum tamen sui olim ordinis *Luc. II.* 13 14. Omne autem, quod abs hoc recens nato saluatore mundi expectari debeat, docent & exprimunt, cantantes: Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία! Gloria nimirum redundabat DEO ex manifestatione stupendi amoris, dantis proprium & vnigenitum Filium pro salute mundi, *Io. III.* 16. Pax redibat in terra vniuersa, pax nempe terricolarum cum DEO *Rom. V.* 1. adde *Es XLIX. 6. Es. IX.* 7. Beneplacitum DEI parabatur hominibus, cum DEO per Christum conciliatis 1. *Thess. V.* 9. *Eph. I.* 5. 6. *Rom. VIII.* 30. 1. *Cor. VI.* 18. Conf. *Ps. XVI.* 3. Quo quaeso idoneo argumento praesumi poterit, quod angeli sancti, praedicantes summum amorem DEI, in vniuersali mediatore, hominibus non solum, sed & lapsis angelis concesso; tamen istius felicitatis, quae ad angelos lapsos redundabat, nulla litera, nulla voce meminerint, si quoque ad angelos lapsos pertinuisset hic, de quo solis hominibus adeo gratulantur, Saluator. Si enim amor DEI etiam angelos lapsos persequitur, dimidius tantum & ex parte praedicatur, quando homines terricolas prosequi narratur. Si è natiuitate & exhibitione Christi gloria DEO enascitur, dimidia tantum est illa, quae per homines saluandos DEO tribuitur. Pax illa, quae terricolis cum DEO per Christum paratur, vnde magis meretur commemorari, quam illa, quae per eundem Christum angelis lapsis paratur? Christusne rectius *vere vniuersalis saluator* docetur, quando angelis & hominibus *simul*, quam si hominibus *solum* adnuntiatur? Si Christus efficit, vt aeterno patri beneplacitum sit non modo in hominibus, sed quoque in lapsis angelis aliquando; quare hominum solorum ista felicitas esse cantatur? Hiccine locus, hoccine tempus erat, istam, quam gloriantur Neo-Euangelistae, vniuersalitatem meriti Christi, si talis esset, in laudem inexhaustae

ſtae miſericordiae diuinae plenius & in vera ſua latitudine commemorandi ? Quis ergo ſecus aut ſcire, aut credere poteſt, quam, quod Chriſtus Saluator *ad ſolos homines*, neutiquam vero ad angelos lapſos redimendos, â Patre miſſus & exhibitus fuerit? Accedit, quod angelus natiuitatis Chriſti praeco, quando paſtoribus in agro, ipſis in ſolatium naſci Saluatorem, ipſisque gaudium magnum inde oriundum adnunciat, adiiciat exſerte: ἥτις (χαρὰ) ἔσται παντὶ τῷ λαῷ. Ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον σωτὴρ *Luc. II.* 10. 11. Quis vero ad *omnem populum* vnquam referet *lapſos angelos*? Quaecunque ergo ſalus *ſolum* ſpectat *ad omnes populos* ἐπὶ τῆς γῆς, illa ſpectat ad ſolum humanum genus, nullatenus ad angelos. Atqui ſalus per Chriſtum parta &c. Ergo &c.

§. VIII.

Simile argumentum ducimus 6) ex *Epheſ. III.* vbi Apoſtolus tantopere exaltat *gratiam DEI*, *& inexplorabiles diuitias amoris Chriſti*, flexis quoque genubus DEVM precatur, vt Epheſiis concedat *comprehendere cum omnibus ſanctis*, *quaenam ſit latitudo*, *& longitudo*, *& profunditas*, *& ſublimitudo amoris Chriſti. verſ.* 18. Nec tamen vllo verbulo indicat, amorem Chriſti *vltra humanum genus*, ad angelos quoque lapſos pertinere, ſed potius *de vocatione gentilium* heroica prorſus oratione commentatur. Sane qui leget atque perpendet hoc totum caput, facile inueniet, quod, ſi quis in tota ſcriptura locus ſit, vbi de redemtione angelorum lapſorum agi merito debuiſſet, hic ille eſſe debeat. Ecquid enim magis dici potuiſſet: *myſterium abſconditum in DEO à ſeculis*, *nunc manifeſtandum*, *vt nota fieret poteſtatibus ac principatibus in ſupra-coeleſtibus*, *per eccleſiam*, *multifaria ſapientia DEI*, *iuxta propoſitum ſeculorum*, *quod fecit in Chriſto IESV Domino noſtro*, *verſ.* 9. 10. 11. quam myſterium ἀποκαταστάσεως & reſtitutionis angelorum lapſorum, per Chriſtum eiusque meritum efficiendae? Ecquid potius demonſtraſſet *inexplorabiles diuitias amoris Chriſti*, *verſu* 8. quam redemtio angelorum lapſorum? Cuius vero, cum plane nullam mentionem Apoſtolus faciat, aut noluit illas diuitias plenius, quam *ex parte ſolum* reuelare, aut ipſi nunquam in mentem venit, quod

Landesbibliothek Oldenburg

illae diuitiae amoris Christi *vltra genus humanum*. ad angelos quoque lapsos restituendos, extendendae sint. Vltimum sane plus quam manifestum est cuilibet sacrum textum inspicienti, & cum Neo-Euangelistarum hypothesi maturius componenti. Meminimus 7) verborum *Ioannis Baptistae*, qui, quid de IESV Nazareno sentire debeant, percontantibus, vt luculentum testimonium perhiberet, quod Christus sit Messias, ipse vero solum sit praecursor & amicus eius, ita respondet: ὁ ἔχων τὴν νύμφην, νυμφίος ἐστὶν *Io. III. 29.* Per *sponsam* intelligit *ecclesiam*, *quam Christus proprio sanguine redemit*, *sibique desponsauit Act. XX. 28.* Argumentum petit â correlatione Christi, & Ecclesiae. Si autem verum est, *quod, qui habet sponsam, sit sponsus*, verum quoque erit, *quod, quae habet sponsum, illa sit sponsa*; hoc est, quod humanum genus sit sponsa Christi, non angeli lapsi! Nos enim Christum sponsum habemus, non illi, sicut id supra, ad Thesin II. vberius tractauimus, & ipsi Neo-Euangelistae illud fatentur. Quodsi vero illos, pariter ac nos, Christus suo sanguine & merito redemisset, illi pariter ac nos essent sponsa Christi, haberentque nobiscum eundem sponsum, quod tamen, qui adserere vellet, in vniuersam sacram Scripturam foret plus nimis iniurius. Ex his omnibus, speramus, satis probatum esse, *quod Christus non sit angelorum lapsorum, sed solius generis humani mediator, saluator atque solatium.* Nisi ergo Neo-Euangelistae diabolis inueniant spem salutis ac restitutionis extra Christum, pessime de illis malis angelis & de nouo Euangelio actum erit: Noui quoque Euangelistae aut sua causa cadent, aut prono itinere ad *Socinianorum* castra abibunt.

§. IX.

Pro scopo nostro & mensura exercitationis academicae sufficiant haec contra Apocatastatistas, Vitio nobis nemo vertet, speramus, quod nec alia, quibus restitutionem lapsorum angelorum probare conantur Neo-Euangelistae, dicta scripturae examinauerimus, nec adhibitis iis, quae contra adferri possunt, eloquiis diuinis, aeternam fore & numquam finiendam damnationem diabolorum, probauerimus. Haec enim omnia neque intra tam ar-

ctos

ctos limites contineri atque peragi, neque ex instituti nostri ratione â nobis expectari potuerunt. Hoc autem probauimus, quod dictum *Ebr. II.* 16. apocatastasi angelorum lapsorum *per Christum sperandae*, adeo non faueat, vt eidem potius manifesto contradicat. DEO interim gratias agimus supplices pro ingenti & aeterno solamine, quod nobis in Christo parauit; nec minus pro puritate doctrinae, ad amussim sacrae Scripturae, in qua nos conseruare dignatus est. Precamur illum, vt praesentem opellam in sui nominis honorem, & veritatis confirmationem dirigere velit clementissime! Et coronidis loco, putamus non inepte ad DEI, Domini nostri IEsu Christi & regni eius, nostrorumque omnium iuratum hostem, diabolum trahi, vel ad illum adcommodari posse, quod DEVS populo Israelitico ratione hostium Ecclesiae iniungit *Deut. XXIII.* 6. *Non quaeres pacem ipsorum & bonum eorum omnibus diebus tuis in aeternum!* quod b. LVTHERVS vertit: Du solt ihnen weder Glück noch Gutes wünschen dein Lebenlang ewiglich! Dabimus cum DEO operam, vt nostras seruemus animas. *Timebimus, ne forte, relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse, Ebr. IV.* 1. & sperabimus, inter illos nos fore, *qui olim angelos iudicaturi*, 1 *Cor. VI.* 3., aut saltem iudicia DEI supra angelos istos, nobis Christoque infensos, celebraturi sunt his verbis: *Iustus es, Domine, qui est, qui erat, & sanctus, quod hos iudicasti, digni enim sunt! Nae Domine, DEVS omnipotens, vera & iusta sunt iudicia tua! Apoc. XVI.* 5. 7.

DEVS nos impleat odio Satanae!

Amen!

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg